CENTRALE V. E. II

6
10-f
6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6
36

Bibliotheca
Coll. Rom.
Soc. Jesu

22.5.10

H
IV
55

GENTIANI HERVETI AVRELII QVAEDAM OPVSCVLA.

Quorum index proxima ſtatim pagina ſequetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCABRA, ET IMPOLITA AD AMVSSIM DOLO, ATQVE PERPOLIO.



LVGDVNI

Apud Stephanum Doletum.

1541.

SEQVITVR OPVSCVLORVM DESCRIPTIO.

Oratio de patientia.
Oratio de uitando otio.
Oratio de grati animi uirtute.

ITEM AB EO TRADVCti è Græco:

Baſilij magni ſermo aduerſus iraſcẽtes.
Baſilij quoq; magni ſermo de inuidia.

ET ITEM È GRAECO VERſa ab eodem:

Sophoclis Antigone.

AD EXTREMVM.

Herueti eiuſdem Epigrammata aliquot.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS.

Domino D. Cardinali à Bauma patrono ſuo in primis obſeruando Gentianus Heruetus.

S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CV'M morales tres meas orationes, amicorum meorũ, qui partim eas audiuerant, partim ſcriptas legerãt, precibus adductus in lucem edere ſtatuiſſem, Reuerendiſsime pater, tu mihi unus in primis occurriſti, cuius nomine, & felicibus ueluti auſpicijs egreſsæ ſecurè in uulgus prodeant. Cùm enim autoritas tua tanta ſit, ut maximis, & iuſtiſsimis de cauſis à ſapientiſsimo Pontifice, & ſacroſancto Cardinalium ſenatu in eorum numerum, & ordinem ſis allectus, quencunq; tu tuo præſidio tueri ſtatueris, non eſt, quòd is mognopere pertimeſcat. A'te itaq; magnopere contẽdo, Reuerẽdiſsime Pater, ut ſi me dignum exiſtimaſti, quẽ in tuam familiam aſciſceres, & cuius ſtudijs, & inexhauſtæ diſcendi cupiditati aliquid tribueres, hoc opuſculum ab eo profectum, qui omnia ſua tibi in primis probata cupit, ita excipias, ut à maleuolorum inſultibus, & inuidorum morſibus tuæ beneuolentiæ propugnaculo tutum ſit.

Quod quidem mihi non defuturum,non fruſtra,ut ſpero, mihi perſuadeo,cũ inſignem tuam, quæ mihi abundè perſpecta eſt,humanitatẽ conſydero. De meis autem orationibus hoc auſim audacter dicere, & ſi multa ſint,quæ in his à te iure fortaſſe poßint deſyderari, magnam quidem certè partem eſſe eiuſmodi, ut non paruam in ijs legendis uoluptatem tibi ſit allatura. Cùm enim in ijs uirtutes quidẽ laudari, uitia autẽ uituperari audiueris, rectè actæ uitæ tuæ conſcientia,quæ tibi inter legẽdum occurret, incredibili te uoluptate perfundet. Primùm enim cùm eam, quæ de patiẽtiæ laudibus inſcripta eſt, leges,totius tuæ uitæ per maximos labores,& maxima certamina traductæ tibi in mentẽ ueniat neceſſe eſt: quæ etſi experiendo acerba,fuerunt non poteſt tamen eorum non eſſe iucunda recordatio. Porrò cùm apud te recordaberis, quã fortiter caſum illum Gebennenſem tuleris, quàm non abiecto,& demiſſo,ſed excelſo ſemper, & erecto animo fueris,cùm te extra culpã omnẽ,quæ ſola bono, ac ſapienti uiro præſtanda eſt,eſſe uideres: eorum autem uicem, qui uera,& recta ſpreta religione ad impiam ſectã ſe traducerent,& à clemẽtißimo principe ad miſerabilem popularis gubernationis confuſionem deficerent,doleres, erit profectò rectæ tuæ conſcientiæ memoria tibi longè iucundißima. Iam uerò cùm,quæ de grati animi uirtute titulum gerit,leges, cùm,quã gratus in tuos omnes fueris, tibi uenerit in mentem,ea quoq; iucundißima recordatio animũ tuum ſubeat neceſſe eſt,te nihil unquã prætermiſiſſe, quo omnibus ſignificares,quantum tu longè potentißimo,& ſapientißimo

mo principi Carolo quinto Imperatori maximo, tum patriæ quoque tuæ exoluendum putares: qui, ut alia innumerabilia taceam, iampridem totus in hoc incubuiſti, & nũc etiã incũbis, ut doli, fraudes, circũſcriptiones, & quæ ſub iuris, & iuſtitiæ prætextu celantur, in Burgundia ueſtra calliditates omnibus pateant, & qui ſunt iuris ſacerdotes, præclarum ſuum munus ita adminiſtrent, ut gratiæ, iræ, libidini, odio, cupiditati, ſordibus denique, & affectibus nihil apud eos relinquatur loci: quod ut effectum reddas, ut ab omnibus eſt imprimis optandum, ita inſigniter laudandus eſt tuus amor in patriam eximius, & tanto uiro digniſſimus conatus. Gebennẽſium autem in te, imò in Chriſtum Opt. Max. impietas cùm tibi in mentem uenerit, eos quidem pro maximo in dominicũ gregem amore ſuo ſibi ſcelere tantum malorum agmen accerſiuiſſe dolebis: quæcunque autẽ acciderint, ea ſine ulla culpa tua quantumuis minima eueniſſe mirandum in modum gaudebis. Nihil enim bono, & ſapienti uiro iucundius eſſe poteſt, quàm cũ uitam ita à ſe inſtitutam eſſe recordatur, ut nulla eum ſceleris conſcientia cruciet, nulla maleficiorum carnificina torqueat. Quod cùm gnauiter adlaboraris, & rectè actæ uitæ uberes fructus animo perceperis, opuſculum hoc noſtrum, quod tuarum te laudum inter legẽdum admoneat, ſpero tibi non ingratum futurum. Quod quidem eo etiam tibi gratius fore non dubito, ſi id ab eo eſſe profectum, quod uerè potes, tibi perſuadeas, qui & pro ſuo in te officio nihil non laboris tua cauſa ſuſcipere, nihil non periculi adire ſit paratus, & qui ſi reliqua ſint in eo minima,

grata quidem animi uoluntate, & perpetua acceptorum beneficiorum recordatione nulli ſit ceſſurus. Te itaque oratum uelim, Reuerendiſsime pater, ut hoc noſtrum opuſculum, qua ſoles humanitate, accipias, legas, defendas. Quod ſi tibi non diſplicuiſſe intellexero, maiora in poſterum, ſi Deus uolet, tibi de me ſpondeas. Vale Reuerendiſsime Pater, Arbosij. Sexto Calēdas Decembris.

1540.

GENTIANI HERVETI AVRELII ORATIO DE PATIENTIA.

*

ANTEQVAM de eo, quod mihi inſtitutum eſt, et quod uos, ut huc ueniretis, impræſentiarum impulit, dicere incipiam, uiri Aurelij, pauca de meo conſilio, & de tota hac mea ratione dicẽdi uobis prius exponenda exiſtimo. Mirari enim plurimos ueſtrum non dubito, quid cauſæ ſit, quòd, cùm in inſtituendis adoleſcẽtibus omnem meum laborem, operam, & induſtriam ponere ſim ſolitus, neque unquam de re ulla, uel minima, publicè dicturus proceſſerim, hunc repentè ſuggeſtum conſcendere, & me in frequentiſſima doctorum hominum corona inſolenter iactare audeam. Qui ſi me parũper dicentẽ ſuſtinuerint, & de patientia uerba facturo patientem aurem accommodauerint, ſpero fore, ut non ſolùm noſtri inſtituti, & conſilij rationem probent, ſed etiam, tantiſper dum patiẽtiæ laudes, & cõmoda audiant, ſe patientes fuiſſe gaudeant. Cùm enim proximis his diebus infinita me malorum caterua undiq; circumuallaſſet, & imparatum propemodum oppreſſiſ-

ſet, & hinc quidem in diſcipulos meos, quos ſanctiſſimè inſtitutos cupiebam, grauiſſima à ſceleratiſſimo homine, ſi homo is dicendus ſit, qui uitæ turpitudine uel efferatiſſimas beluas ſuperat, peſtis immiſſa affligeret, illinc eorũ, de quibus optimè eram meritus, petulantiſſima maledicta & conuitia inuaderent, et à tergo quidem improborũ hominũ in alienis ærumnis ἐπινίκιον canẽtiũ inſolentiſſimæ, & glorioſiſſimæ uoces lacerarent: à fronte autem ne non omni ex parte infelix uno tempore uiderer, et ne corpus, quod gloriari poſſet, haberet, ſi in tantis animi doloribus ipſum nihil ſentiret, periculoſiſſimum reuma dextram capitis partem, & fauces ita interclusiſſet, ut uix reſpirare liceret, in tot, & in tantis malis ad fortitudinem, & malorum patientiã me excitans hunc Vergilianum uerſum frequentiſſimè uſurpabam. Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito. Quod quidem quàm potui diligẽtiſſimè feci. Neque enim me muliebribus lamentis, & angoribus dedi, quibus niſi fortiter reſtitiſſem, miſerrimè fuiſſem confectus, ſed quæ ad leuandum animi dolorem facerent, & ad omnes humanos caſus fortiter ferendos hominem inſtruerent, ea omnia cum ex intimis philoſophiæ adytis, tũ ex ſacratiſſimis diuinæ hiſtoriæ libris ſtudioſiſſimè quæſiui. Ex quibus omnibus cùm tantum & ad præſentes calamitates ſolatij cepiſſem, ut ſi non omnem ex animo moleſtiam eijcerem, maxima tamen ex parte leuarem, & ad omnia, quæ in poſterum impendẽre poſſint fortunæ tela, ita me muniſſem, & eam uelut panopliam comparaſſem, ut Chriſto Opt. Max. duce non me facilè affligi, & profligari poſſe putarem, exiſtimaui, nec à calamitoſis

lamitoſis meis temporibus alienum, nec uobis id iniucundum, addo etiam, nec inutile futurum, ſi cuiuſmodicunq; ſit, quod mea in eo exquirẽdo elaborauit induſtria, id uobis communicarem. Quod *quidem tantùm abeſt, ut oſtentandi ingenij, & iactandæ eruditionis gratia ſuſceperim, ut acerrimum doctiſsimorum hominum, quos in hoc conſeſſu plurimos uideo, iudicium mihi magnopere pertimeſcendum intelligam.* A` *quibus tamen hoc me impetraturum confido, ut, quoniam et quod potui, & quod multis non inutile fore putaui, id in medium protuli, æquo animo accipiant, et me benignè, & quod à uobis iure ſuo poſtulat argumentũ, patienter audiant.* Habetis *uiri* Aurel. *mei inſtituti, & conſilij rationẽ: nunc ſupereſt, ut ad rem, quã hodie ſuſcepi tractandam, quàm breuiſsimè fieri poterit, accedam.* Et *mihi quidem eos orationis cancellos circumſcribam, ut & ego me facilè ad inſtitutum, ſi pauliſper aberrare contingat, reuocare, & uos me dicentem facilimè ſequi poßitis. Cùm enim de patientiæ laudibus, quæ ſunt longè ampliſsimæ, paucis dixero, extremũ hoc erit, ut, cum qua ratione eam nobis comparare poßimus, pro uiribus expoſuero, ad eam uos amplectendam, & diligentiſsimè retinendam cohorter. Atque ego quidem ita exiſtimo, uiri* Aurelij, *patientiam eam eſſe uirtutem, qua nihil pulchrius, nihil excellentius, nihil denique uniuerſo hominum generi utilius, & accommodatius reperietur.* Et *quoniam ordo ipſe hoc poſtulare uidetur, ut de eius præſtãtia, et dignitate primùm dicatur, quid, quæſo, hac uirtute pulchrius, quid honeſtius, quid admirabilius, quæ efficit, ut, quàm proximè fieri poteſt, ad* Dei Opt. Max.

ſimilitudinem, uel mortales accedamus? Cùm enim ea ſit dei ſubſtantia, quæ nullis affectibus, nullis perturbatio nibus, nullis rerum uiciſsitudinibus, & mutationibus ſit obnoxia, hic quidem eſt patientiæ ſcopus, ut, quæcunque homini uel ſecunda, uel aduerſa acciderint, ea ita fortiter, & tam æquo animo ferat, ut uel in medijs perturbationibus interritum, uehementiſsimis affectibus ſecurum, in ſummis mutationibus immutatum hominem efficiat. Pulcherrimè diuus Iacobus apud patrem luminum nullam eſſe tranſmutationem, neque uiciſsitudinis obumbrationem in epiſtola ſua catholica ſcripſit. Et diuinitatem quidem cùm mortali corpore celaret ſummus noſter imperator Chriſtus Ieſus, eam autem in monte Thabor, Petro, Iacobo, & Ioanni diſcipulis ſuis oſtendiſſet, & in glorioſiſsimam illam, quam ne animo quidem, uel minima ex parte compræhendere poſſumus ſpeciem ſe transfiguraſſet, cœleſtium rerum admiratione attonitus Petrus Chriſtum alloquitur. Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Heliæ unum. Quid ais Apoſtolorum omnium conſtantiſſime Petre, cùm Chriſtus dux noſter per acerbiſsimos dolores, infinitas ærumnas, tribulationes innumeras ingredi regnum cœlorum nos oportere dicat, adeo'ne præpoſterè agis, ut ante certamen brauium petas, nondum commiſſa pugna ſine ſudore, & ſanguine, uictoriæ præmium poſtules, & qua nihil maius, nihil admirabilius, nihil optabilius homini contingere poteſt, nondum decurſo

huius

huius uitæ ſtadio gloriam flagites? Diuinæ illius fælicitatis tibi guſtum exhibere, non in hoc mortali corpore immortalitatem repentè donare, te ad ea, quæ imminebant, malorum diſcrimina fortiter ferenda excitare, non ante tempus coronam præripere, & nondum uiſis hoſtibus triumphum canere uoluit. Non eſt diſcipulus, *ait ueritas, ſuper magiſtrum.* Atqui *eum dicentem audiueras, oportere filium hominis pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* In *hoc noſtro corporis ergaſtulo, uel, ut tuo uerbo utar, tabernaculo eam aſſequi non datur, per ſolam patientiam, quæ carnem quidem mortificat, ſpiritum autem ad cœleſtia excitat, utcumque accedere permittitur: tum demum ad cœleſtis illius gloriæ perfectißimam peruenies cognitionem, & ſummi boni iucundißima contemplatione ad ſatietatem uſque fruêre, cùm à* Chriſto *patientiam didiceris, qui pro nobis, ut ipſe literarum monumentis mandaſti, paſſus eſt nobis exemplum relinquens, ut ſequamur ueſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſupra lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus, cuius liuore ſanati ſumus.* Tum *demum nullis affectibus, & perturbationibus obnoxius, ab omnibus carnis deſyderijs alienus, beatißimam illam uitam æternam poßidebis, cùm te & in perpetua cum uitijs dimicatione tam audacem, in ferendis pro iuſtitia malis tam fortem, & in gregis tibi*

commiſ

commiſſi negotio tam conſtantem fore Chriſtus præuidea rit, ut ſupra hanc firmam petram eccleſiam ſuam ædificare uelit, tum demũ ad cœleſtis regni gloriam rapiêris, cũ te alius præcinxerit, & , quò nõ uoles, deduxerit. Non eſt profectò, uiri Aurel. alia ratio, qua uel Chriſtũ caput noſtrum in uita noſtra inſtituẽda uerius ſequi, uel cuiuſmodi ſit diuinitas illa, quæ nullis limitibus circũſcripta ab omni mutatione eſt libera, melius cogitare poſſimus, quã ſi nos ita cõparemus, ut cùm quid in ferendis æquo animo malis, & cohibendis animi motibus Chriſtus cum Apoſtolis nobis præſcripſerit, intellexerimus, non ſolùm obliuioſi uerbi auditores, ſed & factores eſſe conemur. Si quis, inquit Chriſtus, uult poſt me uenire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me: Et rurſus: Si quis uult me ſequi, abneget ſemetipſum, tollat crucẽ ſuam, & ſequatur me. Quid aliud eſt ſe abnegare, & crucẽ ſuam tollere, quàm affectus ſuos crucifigere, & animum per aſſiduam rerum humanarum patientiam ad cœlos erigere? Quàm pulchrè ſanctiſſimus ille gentium Doctor Paulus! qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum uitijs, & concupiſcentijs, qui quàm magno in adeundis periculis animo, quàm fortis, et conſtans in difficillimis quibusque ſuſtinendis fuerit, is pulchrè intelligit, qui ueriſſimam Actuum Apoſtolorum hiſtoriam perlegerit. Atque is tantũ abeſt, ut ſe propterea miſerum exiſtimauerit, ut nullam aliam ob cauſam ſit unquàm gloriari ſolitus: qui etiam pluſquàm alios ſe Chriſti miniſtrũ eſſe profitetur, quòd eis longè plura, & grauiora paſſus ſit. Miniſtri, inquit, Chriſti ſunt: plus ego, ĩ laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum,

in mortibus frequenter. Atque hunc locum paulò proli- xiorẽ ita pulcherrimè cõcludit: ſi gloriari oportet, in iis, quæ ſunt infirmitatis meæ, gloriabor. Atque idem Paulus paulo antè uerißimè dixerat. Eſt ueritas Chriſti in me, quo niam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Cùm itaque idem & ueritatem Chriſti ſe habere, & ſe, quæ aduerſa contigerant, erecto, & excelſo animo pertuliſſe glorietur, quis non ex hoc effici intelligit, ut nemo uerè Chriſtianus iure appellandus ſit, qui non ad omnes patienter ferendas calamitates, anguſtias, & ne- ceßitates ſe comparauerit, & diligentißimè inſtruxerit? Quod ſatis ipſe ſanctißimus doctor apertè paulopòſt oſtendit: libẽter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Chriſti. Quid, quæſo, aliud eſt inhabitare uirtutem Chriſti, quàm Chriſto ſimilem effici? Quod ſi ita eſt, ut aliter eſſe non poteſt, quid quæſo patiẽ tia maius, quid excellentius, quid admirabilius: quæ ut ad magiſtri noſtri, ad capitis noſtri, ad Dei, inquam: Opt. Max. ſimilitudinem quãproximè accedamus, efficit? Pro- pter quod inquit Paulus, Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceßitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum. Non immeritò diuinißime Paule, cũ infirmaris, tunc potens es: ſi enim in eo, qui forti animo aduerſa perpeti- tur, quæ & omnẽ uirtutem longè ſuperat, & à qua omnis uirtus oritur, Chriſti uirtus inhabitat, quid te potentius dici, aut fingi poteſt? Nos itaque unà cum Corinthijs ad- hortaris, ut tua ueſtigia ſequẽtes in omnibus noſmetipſos exhibeamus ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tri-

bula

bulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, & carceribus, in ſeditionibus, & laboribus, uigilijs, ieiunijs, & reliquis eiuſmodi. Tui enim imitatores nos eſſe uis, ſicut & tu IESV CHRISTI. *Quod cùm per inſignem patientiam potiſsimùm facere poſſumus, an non eam & ardentiſsimè apprehendere, & diligentiſsimè retinere debemus? Iam uerò ad eximiam patientiæ laudem quid magis facere poteſt, quàm quòd neque ulla ars, aut ſcientia ediſci, neq; uirtus aut comparari, aut ulla ratione retineri ſine patientia poteſt? Ego quidem ita exiſtimo, ſiue hominum animis tanquam raſis, quod uult Ariſtoteles, tabulis artes, & diſciplinæ imprimantur, ſiue quod philoſophorum omnium diuiniſsimus Plato uoluit, in memoriam, quæ exciderant, redigãtur, neutrum nec ſine maximo diſcipuli labore, nec ſine incredibili docentis tolerantia fieri poſſe. Quod cùm in abiectiſsimis, & ſordidiſsimis etiam artibus uſu uenire uidemus, quid in honeſtiſsimis, & libero homine digniſsimis fieri putandum eſt? Ac primùm cùm ne loqui quidem, niſi prius edocti poſsimus, quantum temporis, & operæ ponendum eſt, ut non ſolùm loqui, ſed emendatè & loqui, & ſcribere poſsimus? Porrò cùm ea, qua uulgò utimur lingua, aut nullæ diſciplinæ, nullæ artes contineantur, aut ita contineãtur, ut ſine earũ, à quibus profluxere, linguarum cognitione ſatis percipi nequeant, fit, ut ſi docti eſſe uelimus (nemo autem liberali, et erecto ingenio non uelle debet) exteras linguas, & ab uſu quotidiano ubiq; remotas ediſcere cogamur. In quibus ediſcẽdis quantum (bone Deus!) laboris, quantum tædij, quantum moleſtiæ deuorãdum eſt?*

Iam

Iam uerò cùm linguæ, quæ diſciplinarũ gratia diſcuntur, perceptæ fuerint, quantus rurſus laborum, & patientiæ patet campus, cùm in rebus quidem pulcherrimis, ſed longè difficilimis ſit omne ſtudium ponendum? Et cùm unaquæq; ars ſit eiuſmodi, quæ ferè totum hominẽ requirat, quo animo eum eſſe putatis, qui ad perfectiſsimum illum diſciplinarum orbem euoluendum omnes neruos intẽdat? Legendi dialectici, oratores euoluendi, percurrendi hyſtorici, poëtarum præteruehendi ſyrenæi, ut ita dicam, ſcopuli, conterendi philoſophi, numerorũ uis ediſcenda, non prætermittendus ſonorum concentus, aſtrorum motus diligenter notandus, figuræ geometricæ à ſenſibus ad intellectum ſunt reducendæ. An, qui hæc omnia conſequi uelit (is autem uelle debet, qui liberalium artium peritus, & re, non nomine tantùm magiſter & eſſe, & dici uelit) huic ceſſandum, genio indulgendum, laborem remittendum putatis? Elegantiſsimè profectò, et ueriſsimè Horat.

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, ſudauit, & alſit:
Abſtinuit uenere, & uino, qui Pythia cantat.
Nunc ſatis eſt dixiſſe, ego mira poëmata pango.

Ac mihi profectò etiam, atq; etiam conſideranti uenit in mentem quatuor eſſe, ſiue artes, ſiue ſcientias, ſiue diſciplinas quis eas appellauerit, quibus tota hominum uita hodiernis temporibus regitur. In quarũ ſingulis cùm ſit pulcherrimũ excelluiſſe, toti quoq; Reip. fuerit quàm periculoſiſsimum, qui eas profitentur, erraſſe. Nam cùm in hoc uitæ curriculo maximè ſit optandum, ut & ſanctè, & ſanè, & ſecurè uiuere poſsimus, ad ſanctiſsimum

quidem Dei cultum, ad pietatem, ad religionem, ad proximi charitatem, Theologiam ducem habemus. Cùm autem ea ad mentis tantùm ſanitatem conducant, ſit autem maximè expetendum, ut, quod ait Horatius: ſit mens ſana in corpore ſano, ad id quidem nobis ſuam operam pollicetur medicina, quæ & ad tuendam ſanitatem nobis certam uiuendi rationem præſcribit, et ad profligandos morbos uaria remedia excogitauit. Porrò, cùm nihil ſit miſerius, quàm timoris perpetua tãquam carnificina uexari, is autem non timere non poßit, qui uel ab infeſtißimis hoſtibus, uel ab improbißimis calumniatoribus, & uitæ, & fortunis ſuis creari periculum ſenſerit, ad arcendum quidem hoſtium impetum militaris diſciplina, ad improbißimorum autem planorum, & impudentißimorum calumniatorum repellendas iniurias ſuum iuris peritia præſidium uult nobis eſſe paratum. Sed quantis, bone Deus, laboribus, quantis uigilijs, quantis ſudoribus, earum à nobis ſingulæ comparantur? Ars nanque militaris, ut eam primùm attingam, neque ſine maxima grauißimarum rerum perpeßione acquiri, neque ſine admirabili plurimorum malorum tolerantia quæſita exerceri poteſt. Nam cùm exercitum nemo rectè ducere poßit, qui non antea miles fuerit, & imperatori paruerit, quot, & quanta laborum pondera ab eo ſunt ferenda, qui bello non aßuetus militiæ tyrocinijs imbuendus uenerit? Cuiuſmodi enim patientiæ eſt tyronem ita exerceri, ut militari quidem gradu horis quinq; dúntaxat æſtiuis uiginti millia paſſuum conficiat, pleno autem gradu, qui citatior eſt, totidem horis uiginti quatuor millia paſſuum peragat? Iam & ad curſum,

ſum, ad ſaltum, natandum, iaculandum, ad cæſim, et punctim feriendum, ad in equos inſiliendum, ad grauiſsima arma ferenda, ad iniuſtiſsima pondera portanda, ad diligentiſsimè ſeruandos ordines, ad ducis uel ſoli nutui parendum, quàm durum, quàm aſperum, quàm moleſtum exerceri? Quæ omnia cùm antiqua Ro. militari diſciplina continerentur, noſtra autem ætate penitus negligãtur, & perditiſsimi, & ſceleratiſsimi quique milites deligantur: in caſtris autem incontinẽtiſsimè, et luxurioſiſsimè uiuatur, nec plus detrimenti ab hoſtibus, & exteris, quàm à noſtris, et ſocijs regno inferatur, ideo fieri credo, quòd in tanta Francorum potẽtia, in tanta ciuiũ obedientia, in maxima omnium rerum copia minus proſperè res noſtræ nobis quandoque ſuccedant. Nam quod ad duces attinet, ego quidem et regem noſtrũ omnium, qui uiuunt, fortiſsimum, & rei militaris longè eſſe peritiſsimum facilè intelligo, & plurimos eſſe in Gallia duces, qui hoſtium noſtrorũ uirtuti, & rei militaris ſcientiæ tantum abeſt ut cedant, ut etiam longè ſuperent. Qui mihi tamen & ſuæ gloriæ melius, & uniuerſæ Francorum Reipub. utilius conſulturi uidentur, ſi & importuniſsimam militum inſolentiam cohibeant, et eos paulò ſeueriori diſciplina coërceant, & in officio cõtineant. Quod quidem cum omniũ totius orbis Gallici ciuium, tum & ſua ipſorum maximè cauſa ſuſcepiſſe eos oportuerit. Quis enim non ægrè ferat eos quidem & caſtris metandis conuenientiſsimum locum deligere, hoſtium conſilium uigilantiſsimè præripere, commeatus & ſibi prudentiſsimè proſpicere, et hoſtibus intercludere, ſapientiſsimè aciem inſtruere, aduer-

ſus hoſtes conſtantiſſimè dimicare, et militū animos oratione ſua, ad ſtrenuè uel pro patriæ gloria, uel pro focis, & aris fortiter pugnādum inflāmare, omnia deniq;, quæ fortes duces deceat, præclarè facere: milites autē uel propter molliciem, uel propter ignauiam, eorum dicto minus audientes eſſe? Quorum ſi is, quem præſcribit Vegetius, delectus haberetur, ut ex ijs, qui duratis ad omnem laborum tolerantiam membris & ferrum geſtare, & foſſam ducere, & onus ferre conſueuerint, tyrones eligantur, & militiæ ſacramento adacti paulò ſeueriori diſciplina contineantur, aut ego fallor, aut inſultantem hoſtium inſolentiam Deo Opt. Max. duce breui retundemus, & rei bellicæ gloriam, qua multis ſeculis cæteris nationibus longè præſtitimus, multò ampliorem, & auctiorem reddemus. Quid uerò iuris prudentia? quanta, quæſo, diligētia, quāta uigilantia, quanta animi contentione, & fortitudine eſt hodie euincenda? Cuius cùm hic ſit finis, ut conſtitutarum legum metu humana coërceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenetur audacia, & nocendi facilitas, tot autem, & tantæ ſunt hominum fraudes, impoſturæ, doli, circunuentiones, circunſcriptiones, calliditates, & calumniæ, ut ſæpe reciſo uno tanquam alicuius immaniſſimæ hydræ capite plura enaſcantur, uidebatur ſola iuriſperitia, tanquam ἀλεξίκακος quiſpiā Hercules, tantis nos malis ereptura. Sed ueriſſimum comperimus, quod de legibus primò elegantiſſimè Plato ſcriptum reliquit.

Diſtinct. iiij.c. Factæ ſunt autem leges.

ἔοικε ὦ ξένοι χαλεπὸν εἶναι τὸ περὶ τὰς πολιτείας ἀναμφισβητήτως ὁμοίως ἔργῳ καὶ λόγῳ γίγνεσθαι.

κινδυνεύει

κινδυνεύει γὰρ καθάπερ ἐν τοῖς σώμασιν οὐ δυνατὸν εἶναι προστάξαι τι πρὸς ἓν σῶμα ἓν ἐπιτήδευμα, ἐν ᾧ οὐκ ἂν φανείη ταὐτὸν τὰ μὲν βλάπτον ἡμῶν τὰ σώματα, τὰ δὲ καὶ ὠφελοῦν οὕτω ἐν ταῖς πόλεσιν. *Quemadmodum, inqt, nullũ præſcribi medicamentũ poteſt, quod nõ noſtra corpora partim iuuet, partim offendat: ita nihil, quod ad Reip. adminiſtrandæ rationem pertineat, decerni poteſt, quod omnibus iuuãdis cõueniat. Cùm enim nulla ſit alia ratio, qua improbis hominibus reſiſtere poßimus, quã iuris prudentia, ſæpißime tamẽ uſuuenire uidemus, ut, quod ad omniũ ſalutem cõparatũ eſt, in plurimorũ conferatur exitium. Quod quidem ideo fieri credo, quòd cũ ſit ius ars æqui, et boni, ut elegãtißimè Celſus definit, nos eũ iuris peritißimũ uulgò appellamus, quem aſtutißimũ, callidißimum, & prætextu iuris impoſtorem maximum uidemus: quaſi uerò nõ ad æquitatis normã tanq̃ leſbiã aliquã regulã omnia ſua dicta, et facta iuris ſacerdotes cõferre oporteat. Sed quid ego hîc de iuris diſciplina diſputo, et nõ ad inſtitutũ meũ redeo? Iuris quidẽ certè prudẽtia, ut eſt humanarũ omniũ ſciẽtiarũ lõgè pulcherrima: ita nulla eſt, in qua plus operæ, plus ſtudij, plus diligentiæ, plus deniq; laborũ tolerãtiæ ſit cõferẽdũ. Nã ut omittã, quod hîc cõmodißimè afferre poßẽ, eũ illotis, quod aiũt, pedibus ſacratiſſima iuris adyta penetrare, q uix deguſtatis primoribus, ut dicitur, labris, reliquis diſciplinis, ad iuriſconſultos accedat, eum temere ad tanta myſteria irumpere, qui non ſatis intellecta purißima linguæ Latinæ dictione, non lectis hiſtoricis, nõ uiſis ne per trãſennã quidem poëtis, nõ auditis, qui & de morũ inſtitutione, et rerũ publicarũ admini*

l. j. ff. de iuſtitia, & iure.

ſtratione ſcripſerũt, philoſophis, ad leges ſe conferat, eũ fruſtra de iure aliquid ſcribere, quod in Bruto *non ueritum eſt Ciceronem dicere, qui eam artem non didicerit, quæ rem uniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcura explanare interpretando, ambigua primùm uidere, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam, qua uera, & falſa iudicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæq; non eſſent conſequentia, uidere: quam nos dialecticam, id eſt, diſſerendi artẽ appellamus. Vt hæc inquam omittam, & ea, quæ ſunt in ipſa iuris diſciplina longè difficilima, paucis attingam. Primùm mihi quidem uidetur, quod ueſtra fretus benignitate dixerim, Imperator Iuſtinianus bono animo, & prudenti conſilio tentaſſe, ut infinitus iuriſconſultorum numerus ad pauca, eaq; minus prolixa uolumina cõferretur: ſed quod maxima ſtudioſorũ adductus beneuolentia ſuſceperat, minus felicem exitum cepiſſe. Nam cùm multa ex ijs, quæ ſuperuacanea uidebãtur, reſecuerit, et dum breuitati ſtuderet, multa à multis uarijs in locis ſcripta in unum ſæpius locũ accumulauerit, factum eſt, ut, quod maximè quidem uolebat, breuitatem ſcilicet aſſequeretur: id autem, quod maximè timendum erat, nempe obſcuritatem non uitaret. Atque hinc nobis tot Antinomiæ profluxere, quas ut in iure ullas eſſe, cùm id Iuſtinianus diligenter cauerit, dicere piaculum exiſtimo: ita non ſine maximis difficultatibus ad concordiam redigi poſſe intelligo. Quod ſi ad eam, quam Cicero in animo habuiſſe uidetur, & ad quam uir doctiſſimus, quem honoris cauſa nomino, Theodoricus noſter Noppenus artem, & Methodon reduci poſſe exiſtimat,*

ſtimat, uel Iuſtinianus *redegiſſet, uel uir quiſpiã eximiè doctus, et* Theodorico *noſtro ſimilis id hodie ſuſciperet, dici non poteſt, quot, & quantis laborum carnificinis ſtudioſos omnes liberaret, & immortalem ſibi gloriam compararet.* Porrò, *quàm hoc iuris candidato moleſtum eſſe putatis, quod cùm tota iuris ciuilis diſciplina à duodecim tabularũ legibus, in quibus interpretãdis iuriſperitorum primùm uerſata eſt prudẽtia, tanq̃ ex uberrimis fontibus profluxerit, earũ tamẽ iuriſperitos in toto iuris corpore rariſſimè meminiſſe?* Quo *fit, ut uel ex* Cice. *lib. de leg. uel* Gellij *atticis noctibus fruſtratim ſint exquirendæ, uel ab inferis nobis ſint reuocandæ.* Quid *poſteà ijs non ſufficientibus tot leges latæ, ex quibus cùm pauca tantùm uerba in* Pandectas *ſint relata, eas tamen nuſquam integras reperias?* Quid *tot* Senatuſconſulta, *tot plebiſcita, tot* Prætorum, & Aedilium *edicta: quæ omnia cùm uim legis obtinuerint, eorum tamen pauciſſima inueniuntur integra?* Sola *itaq; ſuperſunt exceptis principum conſtitutionibus iuris prudentum reſponſa: qui cùm earum, quæ perierunt, legum tantùm ſunt interpretes, ad eos porrò intelligendos nouis quotidie interpretibus ſit opus, quantæ, quæſo, patientiæ eſt in interpretum interpretibus, & ſcholiorũ ſcholijs, et quæ naſcentur ab illis, tantã operam ponere?* Accedit *ijs, quòd cùm nõ ijdem antiquitus & de iure reſponderẽt, et cauſas agerẽt, ut ex* Cic. *lib. de* Orat. & *ex pro* Murena *oratione, & ex titulo de iuris origine apertè licet intelligere, nemini autẽ hodie niſi, qui in iure ciuili prius fuerit uerſatus, ad cauſas agẽdas liceat accedere, fit, ut, ſiquis inſignis iuriſconſultus, et nõ forẽſis potius*

l. ij. §. His legibus. ff. de origine iuris.

l. ij. §. Seruius autẽ Sulpitius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

rabula uelit euadere, eum cum iuris peritia eximiā quoq; eloquentiam oporteat coniungere. Quorū ſingula cū per ſe ſint longè difficillima, quanto labore exiſtimatis ea hodie ſimul eſſe diſcenda? Cuiuſmodi autē illud eſt, quod cū plurimos annos non ſine maximis laboribus, & uigilijs in iure ciuili cōſumpſeris, propter abrogatas tamē moribus, & cōſuetudinibus leges plurimas, in forum cogaris tyrūculus adrepere? Quæ omnia cū ſint moleſtiſsima, et longè difficilima, ſunt tamen et Reip. dignitate, & omniū ciuiū utilitate penſanda. Ars uerò medica quātis laboribus, & difficultatibus paretur, cū mihi ad reliqua ſit properandum, ijs cogitandū relinquo, qui in ea arte longo tēpore, & maxima cū laude uerſati ſunt: hoc tantū dicam, cū ea ſit ars, quæ in nobiliſsimo omniū ſubiecto, humano ſcilicet corpore, uerſetur, eiusq; finis ſit, quid ei præter naturam acciderit, id inſtaurare, & corrigere, eius rei peritiā non ſine maximo labore, & diuturna exercitatione cōparari poſſe. Quantū enim induſtriæ, & diligentiæ ponendū eſt, ut per frequētes corporis humani diſſectiones, in quo plurimi turpiter hallucinātur, omnium partiū ſubſtantiam, figuram, magnitudinem, earum inter ſe cōuenientiam, & συμπάθειαν, & operationem poſsis cognoſcere? Quid temperamentorū uarietates, morborū infinitas ſpecies, et in dies exorientes: herbarum, arborū, omnis generis animaliū à natura inſitas uirtutes enumerem? Ego quidē ita exiſtimo, cū nulla ſit ars, quæ hodie in perfectiorē methodum ſit redacta, nullā tamē eſſe, quæ plus ſtudij, plus diligentiæ, plus exercitationis aſsiduæ & propter rerū difficultatē, et propter maximū eius, in quo uerſatur, periculū

requirat,

requirat. Quid? ſacratiſsimã illam diuinorũ eloquiorũ cognitionẽ, quã Theologiã appellamus, mediocri ne labore, & exiguis uigilijs cõparari poſſe putatis? Ego quidẽ ita ſentio, antiquũ illud Græcorũ prouerbium, quo difficilia eſſe, quæ pulchra, monemur, ſi de ulla unquã alia, de hac certè omniũ ſciẽtiarũ longè excellẽtiſsima cõueniẽtiſsimè dici poſſe. Quo enim ſublimiora, diuiniora, et quæ omnẽ humani ingenij captũ excedũt, ea cõtinẽtur, eo magis elaborandũ eſt, ut, quod apertè in huius mortis corpore uidere nõ poſſumus, per ænigma ſaltẽ, ut ait Paulus, intelligere poſsimus. Et mihi profectò etiã, atq; etiã cõſyderãti uenit in mentẽ duo ei eſſe in primis neceſſaria, qui diuino auxilio fretus, ad ſacrarũ literarũ cognitionẽ uelit uel mediocriter pertingere, inſignẽ ſcilicet humilitatẽ, & intenſiſsimum laborẽ. Qui enim ita ſe gerit, ut ex toto corde in domino fiduciã non habeat, ſed propriæ innitatur prudẽtiæ, & apud ſemetipſum ſibi prudens uideatur, ei nunquã illa reuelabũtur, quæ ſapientibus abſconſa ſunt, & reuelata paruulis. Qui rurſus ſapientiã nõ petit, & nõ ita petit, in fide nihil hæſitans, ut fluctui maris, qui à uento moueatur, & circunfertur nulla ſit ratione ſimilis, quiq; ualidiſsimã ſapientiæ portã nõ ita pulſat, ut & quotidianis precibus, & aſsiduis laboribus importunus meritò uideatur, ei iure, quod petit, denegatur, neq; quã pulſat, porta aperitur. Sed hodie (proh dolor) incõmodiſsimè, atq; adeò infeliciſsimè uſuuenire uidemus, ut dũ pleriq; inani ſcientiæ perſuaſione inflati ad ſacras literas accedãt, et uel omnibus, q in uinea domini ſtrenuè laborarũt, interpretibus reiectis, uel ijs tantũ admiſsis, quorum impia dogmata ab antiquis

hæreticis excerpta, & olim ab uniuerſa Chriſtianorũ eccleſia exploſa, et noſtris tẽporibus grauiſsimis cẽſuris notata ſunt, nõ ſolùm, quod cõceperũt, uirus euomere, ſed et proximos quoſq; inficere, & execrandi erroris contagio inuoluere conentur. Quorum tanta eſt ſuperbia, ut uel in maximis erroribus ſe Spirituſancto afflatos, et θεοδιδάκτους eſſe glorientur: tanta porrò laboris fuga, ut ſuæ factionis principũ, & archihæreticorũ libris cõtenti nullos alios penitus attingãt. Eorum autẽ unũ memini, cùm mecum aliquando diſceptaret, eò inſaniæ proceſsiſſe, ut quatuor illos eccleſiaſticorum, qui Latinè ſcripſerũt, doctorum coryphæos, errorum pleniſsimis Lutheri libris poſtponeret, cùm tamen eorum, quos adeò eleuabat, nullum unquam uel leuiter attigiſſet. Atque ij quidem ſunt, qui rudi plebeculæ perſuadent tantam eſſe ſcripturæ facilitatẽ, ut à quãtumuis imperitis, quãtumuis rudibus, quãtumuis agreſtibus, quãtumuis idiotis, uel nullo præeunte doctore poſsit intelligi. Qui cùm nobis Apoſtolos humiles, inopes, abiectos, et ſermone imperitos proponunt, miror non eadem opera illos præclariſsimi eorum doctoris meminiſſe, nec eis in mentem uenire, Chriſtum quidem mundi infirma primò elegiſſe, ut fortia confunderet: & ſtulta, ut ſapientũ ſapiẽtiam refelleret. À Chriſti autem, et Apoſtolorũ tẽpore nullum in ſacris literis excelluiſſe, qui nõ & in ſecularibus, quas uocãt, literis eſſet ab ineũte ætate inſtitutus, & in diuinis eloquijs longiſsimo tẽporis ſpatio meditatus. Porrò cùm gentium doctorem Paulum intelligãt, alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores dicere, cui nõ mirum uideatur, eos pulcherrimè

ab eo

ab eo cõſtitutũ ordinem peruertere, & doctores quidem ſuos contẽnere: ſibi autẽ omnia inſolenter arrogare? Et cũ *Paulus de cõſeruanda unius corporis mẽbrorum concordia mirè ſit ſollicitus, pedes, & abiectiſsima quæuis membra capiti, et oculis, & præſtantiſsimis quibuſq; membris impudentiſsimè repugnare?* Scripturã autẽ, cũ tot arcana *ſenſa ſubſint, tot myſteria lateant, tot tropi ſe offerãt, tot ex præcedente lingua interpretanda occurrãt, tot, quæ apertè pugnare uidẽtur, in concordem ſpiritum redigẽda ueniãt, tot ex nõ intellectis pleriſq; ſcripturæ locis exortæ ſint hæreticorũ cateruæ, facilem eſſe dicere, hominis eſt parum conſyderati, & precioſiſsimæ gemmæ pretium nimiùm eleuantis.* Conqueritur Hieronymus *garrulam anũ, delirum ſenẽ, ſophiſtam uerboſum, uniuerſos deniq; hanc præſumere, lacerare, docere, antequã diſcant, alios adducto ſupercilio grãdia uerba trutinantes, inter mulierculas de ſacris literis philoſophari: alios à fœminis diſcere, quod uiros doceant, & quadã uerborũ facilitate, imò potius audacia diſſerere, quæ non intelligãt.* Qui *ſi hodie reuiuiſceret, et nõ ſolùm anũ garrulã, ſed et nondũ nubilem puellã, nõ ſolùm delirũ ſenem, ſed & iuuenẽ imberbẽ, non ſolùm ſophiſtã uerboſum, ſed puerũ omniũ rerũ imperitũ tantũ ſibi in ſacris literis arrogare uideret, ut, quæ ſunt à maioribus noſtris frequentiſsimis patrũ concilijs ſanctiſsimè ſtatuta, cõuellere: quæ à diuini uerbi prædicatoribus uerißimè doceãtur, cõtemnere:* Euangelij, *quã prætexunt, libertatem ad impuriſsimã carnis, & omniũ uitiorũ ſeruitutem conuertere: & quod omniũ eſt et teterrimũ, & impudẽtiſsimũ, atq; adeò ſtultiſsimum, cũ* Deo. Opt. Max. *tanquã*

immaniſsimi gigãtes bellũ gerere audeãt, quid tandẽ dictu rum putatis? Pulchrè profectò Auguſtinus pſ.167. uerſiculũ exponẽs, Cõgregatio taurorũ inter uaccas populorũ, ut excludãtur ij, qui probati ſunt argẽto. Tauros propter ſuperbiã duræ, indomitæq; ceruicis hæreticos appellat: uaccas autẽ ſeductiles populorum animas intelligẽdas exiſtimat. Ex ijs, inquit, ſunt, qui penetrãt domos, & captiuas ducunt mulierculas peccatis oneratas, quæ ducuntur uarijs deſiderijs, ſemper diſcentes, & ad ueritatis ſciẽtiam nunquã peruenientes. Argentũ autẽ igne probatum eloquia domini. Excluſores uerò doctores, q ex ſacræ ſcripturæ tanquã maſſa quadã arcanos, & myſticos, qui in eis latent ſenſus, eruunt. Ad quos ego tanquam aliquã ſacram anchoram, quoties de difficiliori ſcripturæ loco, quæ tota, ut ait ſanctiſsimus Petrus, interpretatione indiget, cõtrouerſia eſt, cõfugiendũ exiſtimo, nec aut mercatori, aut ſordido alicui artifici tantũ ſibi arrogare permittendũ, ut cũ Chriſtus Dei uerbũ inter ſpinas ſeminatũ, ſpinis, id eſt, huius mũdi curis, & ſollicitudinibus ſuffocari dicat, è ſpinis uerã haurire ſe poſſe interpretationẽ credat, nec mulieri, cui teſte Sophocle maximũ ornamentũ eſt ſilentiũ, et quã Paulus in eccleſia docere uetat, concedendũ eſt, ut de ſacris literis contentioſè diſputare, & imperitis potius adoleſcentulis, quàm in lege domini diu, noctu'que meditatis doctoribus credere audeat. Quod quidem non ideo dico, quòd plebeios homines à ſacrarũ literarũ lectione arcendos putẽ, ſed ut eos admoneã, magnopere eſſe cauendum, ne omni doctrinæ uento circunferãtur, & uerũ ſcripturæ ſenſum ab eis potius haurire, qui in pulcherrima omnium

ſcientia

ſcientia maxima ſunt cũ laude uerſati: quã ab eis, qui aut eam leuiter attigere, aut præcorruptam accepere, perſuadeantur, & intelligant ea quidem, quæ ad bene uiuendum præcepta pertinẽt, quæ ſunt eis in primis neceſſaria, memoria tenere eſſe facilimum: arcana autẽ ſacræ ſcripturæ myſteria, eis demũ, qui in lege domini diu meditati ſpiritus ſancti gratia afflantur, cognoſcere eſſe datũ: qui cùm, ut ſcriptũ eſt, ubi uult ſpiret, diuinorũ quidem arcanorũ cognitionem ut neq; ſuperbis, et elatis, ita nec pigris, nec ocioſis, nec ſomnolẽtis inſpirat. Videtis, uiri Aurel. quot, *& quantis laboribus ad ſingulas comparandas artes, & ſcientias opus ſit.* Quid *uirtus? quã ardua, quam difficilis, quanta & grauiſsimarum rerũ tolerantia eſt acquirẽda, & acerbiſsimarũ rerũ patientia retinẽda?* Elegantiſsima Prodici Chij *eſt fabula, duas pubeſcẽti* Herculi *obuiam factas eſſe mulieres, quarũ alteram forma, ut uidebatur, inſignem, & miro artificio fucatã, omniq; deliciarum genere diffluentem repudiaſſe: alterã autẽ aſpectu toruã, ueſtitu horridam, & ſqualidam, labores plurimos, et infinita certamina proponentẽ, ſed pulcherrimũ præmiũ: nempe, ut omnibus ſuperatis,* Deus *eſſet, promittentẽ amplexum eſſe.* Quod quidem quis non uidet ei pulcherrimè conuenire, quod à ueritate: id eſt, à Chriſto Opt. Max. *dictum eſt, oportere per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum.* Quid *ab omnibus celebrata elegantiſsima* Heſiodi *carmina.*

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
ἀνάντης τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,

ῥηιδίη

ῥηιδίη δ᾽ ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.

Nunquid Euangelio mirè ſuffragantur, anguſtam eſſe uiam, quæ ducit ad uitam: & Chriſti quidem iugum eſſe dulce, onus autem leue? Egregiè, & ad omnium, qui uicijs fortiter reſiſtunt, conſolationem accommodatiſſimè dominus noſter à Paulo rogatus, ut carnis ſtimulus ab eo diſcederet, dixit, ſufficit tibi gratia mea: nã uirtus in infirmitate perficitur. Quod quidẽ ſatis oſtendit nullam eſſe perfectam uirtutẽ, cui non patientia tanquã comes indiuidua perpetuò acceſſerit. Iam enim, ut eas tres uirtutes, quas, donec facie ad faciẽ deum uideamus, in nobis manere Paulus ait, fidẽ, ſpem, & charitatem leuiter attingã. Cùm hæc ſit Pauli certiſſima regula, omnes, qui piè uolũt in Chriſto Ieſu uiuere, perſecutionẽ paſſuros, mollem'ne, delicatã, et eneruatam fidem eſſe conſentaneũ eſt, quæ ſibi infinita pericula ſubeunda ſentiat, & magnopere timendum eſſe, ne inexercitata langueſcat? Iam cũ Paulus generali uocabulo omnes ita comprætendat, ut neminem excipiat, fit, ut nemo fidem in Chriſtum habere poſſit, qui non patientiam ſimul habeat. Quid ſpes, ad quam tenendam ſicut tutam, & firmam animæ anchoram, & incedentem uſque ad interiora uelaminis, ubi præcurſor pro nobis introijt Ieſus Pontifex in æternum factus, nos inflammat ad Hebræos Paulus, nunquid haberi ſine patiẽtia poteſt? Spes, inquit, idem Paulus, quæ uidetur, non eſt ſpes: quod enim uidet quis, quid ſperat? Si autem, quod non uidemus, ſperamus, per patientiam expectamus. Modò ergo patiẽtia neceſſaria eſt, donec ueniat, quod promiſſum eſt. Quæcunque, inquit, idem Ad Ro. Paulus, ſcripta ſunt, ad noſtram do-

ctrinam

ctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarũ, ſpem habeamus. Potuit'ne apertius, et ſignificantius oſtendi, ſpem à nobis citra patientiam non poſſe haberi? Atqui ea eſt, quæ & uitæ futuræ propoſita contemplatione, huius uitæ curriculi moleſtias omnes lubenter ſubire: quæ dolores omnes, anguſtias, tribulationes forti animo perferre nos impellit: quæ ad finem uſq; alacriores, et propoſiti brauij cogitatione animoſiores perſeuerare nos cogit: hæc eſt, quæ Paulum exclamãtem inducit: *Quis nos ſeparabit de charitate Dei? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an gladius?* Hæc eſt, quæ eundẽ ab hoc corporis ergaſtulo liberari cupiẽtẽ in hæc uerba erumpere cogit. *Cupio diſſolui, et eſſe cum Chriſto.* Iam uerò Charitas nũquid ſine patiẽtia ſtare poteſt? Audi, quid dicãt Cantica cãticorũ. *Valida ſicut mors dilectio.* Quid morte ualidius, quid potẽtius dici, aut fingi poteſt? cui nihil eſt tam durum, quod reſiſtere, nihil tam forte, quod repugnare, nihil tam animoſum, quod rebellare audeat. Et tamen audis, *ualida ſicut mors dilectio.* Quid ſi non ſolùm ualida ſicut mors, ſed multò etiam ualidior, quæ non ſolùm mortem contempſerit, ſed & ſuperauerit? quid dixi, ſuperauerit? imò, quæ mortẽ occîderit? *Perfecta*, inquit, diuus Ioannes, *Charitas timorem omnem excludit.* Quæ autẽ perfectior Charitas excogitari poteſt, quàm eius, qui et ipſe Charitas, principis, et capitis noſtri Ieſu Chriſti: qui cùm ſe ultro pro peccatis noſtris morti, & ei morti, qua nulla crudelior, nulla acerbior, nulla deniq; turpior excogitari poteſt, obtulerit, morte mortis potentiã ſubiugauit, et morte mortẽ deleuit, adeò, ut meritò

exclamet

exclamet Paulus, ubi nunc mors gloriatio tua? Vbi nunc ſtimulus tuus? Cuius fortiſſimi imperatoris exemplum ſecuti, & uehemẽtiſſimo amore inflammati Martyres nobiliſſimi, nullã ignominiam recuſarunt, nullam calamitatem non ſuſtinuerunt, nullũ ſupplicij, nullum denique mortis genus non gaudentes, & exultantes adierunt, ut non ſolũ per gloriã, ſed in æterna cũ Chriſto gloria uiuerẽt. Quorum exemplũ qui non, ſi ſe offerat occaſio, ſequi paratus fuerit, is fruſtra fidem ſemper in ore habebit, & inanem charitatem iactabit. Ac de eo, quia pleni ſunt diuinæ pagine libri, plura dicere in præſentia ſuperſedebo, & ad reliqua quã breuiſſimè potero, expedienda me cõparabo. Vos quæſo, intereà, ut cœpiſtis, benignè pauliſper attẽdite. Neque uerò in ijs quatuor, quæ morales appellãtur uirtutes, explicãdis, cùm de ijs ampliſſimus pateat dicendi campus, diu immorabor, quarum nulla eſt, quæ non uel patientia comparetur, uel non ſibi adiunctã indiuiduam comitẽ habeat patientiam. Quis enim citra laborum, & grauiſſimarum rerum perpeſſionem, diuinarum, & humanarum rerum cognitionem, & expetendorum, & fugiendorum ſcientiam, quæ uirtutum omnium fons eſt, ſe aſſequi poſſe ſperet? Pulcherrimè profectò Homerus, qui cùm quid uirtus, & quid ſapientia poſſit, Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem: nullis eum epithetis lubẽtius ornare ſoleat, quàm, ut eum πολυμήχανον ὀδυσσέα, & πολύτλαντα appellet. Videbat uir ſapientiſſimus nullũ inſigni ſapientia præditum eſſe poſſe, qui non infinitis laboribus, uigilijs, exercitijs, ſudoribus, maximo denique rerum uſu eam ſibi comparaſſet. Quò fit, ut eundem & multi conſilij uirum,

rum, et plurima paſſum appellet, quẽ ſapientẽ exiſtimet. Quid omniũ uirtutũ ſplendor, & decus Iuſtitia? quæ cùm elegantiſsimè à iuriſconſulto definitur, conſtans, & perpetua uoluntas ius ſuum unicuique tribuens, quis non intelligit eum demum iuſtum iure dici debere, qui talis eſt, qualem è Stoicorum diſciplina elegantiſsimè deſcribit Horatius.

Iuſtum, & tenacem propoſiti uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus inſtantis tyranni
  Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

De animi uerò magnitudine nihil dico, quæ cùm in doloribus perferendis, & in ijs omnibus, quæ uulgò formidanda uidentur, fortiter contemnendis uerſetur, fit, ut ſuo ſibi iure patientiam poſsit uendicare. Quid temperantia? quæ cùm cohibere uoluptates, & refrenare libidines nos doceat, non immeritò Plato de legibus primo eiuſdem eſſe uirtutis ſcribit, & metum procul arcere, & uoluptatibus reſiſtere. Quibus repugnare quantæ, quæſo, eſt patiẽtiæ, cùm ſanctiſsimus Paulus, quibuſdam ueluti ſtimulis exagitatus non uereatur dicere: Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ eſt in membris meis: ſed quò eſt certamen difficilius, eò glorioſior futura uictoria eſt: quam cùm ſola patientia gratia Dei munita poſsit nobis

parare,

quanti, quæſo, faciendam, et quanto in honore habendam ſentitis? Videtis, uiri Aurel. quantum ſit patientiæ decus, quantus ſplendor, quanta dignitas, & gloria, quæ nos, & Deo ſimiles reddit, & artes, & ſcientias acquirit, ad omne denique uirtutis genus inſtruit. Quòd ſi ad eam perſequendam, & diligentiſſimè retinendam nos honeſtum per ſe non mouet, an nõ utilitas, qua Aureliæ imprimis ducimur, nos ſaltem magnopere inflammabit? Quæ in hac pulcherrima uirtute tanta eſt, ut nulla in rebus humanis maior dici, aut cogitari poſſit. Cùm enim infinitis malorum myriadibus ſit hominum uita obnoxia, & pulchrè quidem cecinerit Homerus:

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Et Heſi. πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα, *& Sophocles* κακῶν δυστάλοιος οὐδείς. *cui ſuffragatur Vergilianum illud.*

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt curæ, triſtisq; ſenectus,
Et morbi, & duræ rapit inclementia mortis.

Quæcùm ita ſint, et nullus ſit, qui ea ulla ratione poſſit effugere, quid, quæſo, utilius, quàm patientiæ armaturam indui, qua muniti quæcunq; nobis acciderint: forti, et cõſtanti animo perferre ualeamus, et humana omnia noſtra uirtute inferiora ducamus? Egregiè profectò Euripid.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Quo ſignificatur nullum eſſe caſum, tam grauem, nullam calamitatem, tam terribilem, quam nõ fortis uiri animus

mus patientia, munitus æquo animo poßit ſuſtinere. Pulchrè ex Solonis ſententia Ouidius:

–Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini: diciq́; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq́; funera debet.

Sed quis uel poſt funera ſe beatū fore ſibi perſuadeat, qui omnium malorum ut ultimum, ita longè, ut creditur, grauißimum, mortem ſcilicet ſibi ſubeundam intelligat, niſi ad eam fortiter ferendam ſe diligentißimè inſtruat? Diuinißimè profectò Demoſthenes: πέρας ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις καθείρξας αὑτὸν τηρῇ, δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασι ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένοις ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅτι ὁ θεὸς διδῷ γενναίως. *Omnibus, inquit, hominibus, uitæ finis mors eſt, etiam ſi in domuncula incluſum ſe quiſpiam ſeruauerit. Oportet autem bonos uiros, omnia quidem honeſta, bona ſpe propoſita aggredi, quicquid autem deus dederit, forti, et generoſo animo pati. Accedit ijs, quod cùm citra uariarum ab homine ſolertißimè inuentarum artium præſidium non commodè uiui poßit, eas quidem omnes patientiæ, tanquam prudentißimæ omnium magiſtræ, acceptas ferre debemus. Quod elegantißimè in Georg. innuit Vergil, cùm ſcribit:*

–Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe uiam uoluit, primusq́; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno.

Quem locum ita paulò pòſt concludit,

Tum uariæ uenere artes: labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Quod mihi pulchrè uidetur in Pluto Ariſtophanes ſignificaſſe, cùm Peniæ ſuæ, quæ paupertas eſt, artes omnes adſcribit, & citra eam, omnia ab hominibus prudenter excogitata corruitura dicit. Penia certè, citra patientiam nihil præclarum inuenire, nec memoria dignum excogitare poteſt. Quanta uerò patientiæ eſt utilitas, quòd cùm ſit omnium maximè timendum, ne rebus ſecundis, & ad nutum fluentibus ſuperbi, & inſolentes reddamur, ea ſola nimis elatam ſuperbiam cohibet, & nos homines eſſe admonet? Diuiniſſimè profectò, ut omnia, Paulus. Ne magnitudo, inquit, reuelationum me extollat, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quo fit, ut quò eſt grauius, & quod reliqua longè ſuperat, ſuperbiæ peccatum, eò ſit utilius, quod id reprimit, patientiæ bonum. Sed quid, dicet fortaſſe aliquis, Patientiam & honeſtiſſimam eſſe, quæ nos deo ſimileis reddat, ſcientias, & uirtutes doceat: utiliſſimam, quæ ad ferenda, quæ cauere non poſſumus, mala, nos inſtruat, artes in lucem proferat, ſuperbiam coërceat, me iuuat cognoſcere, niſi eius comparandæ nos rationem doceas? Bene admones, & quoniam me id eſſe pollicitum paulò antè memini, de eo aliquid dicam: ſed ita paucis, ut ad orationis metam me tam citò ueniſſe miremini. Vos autem oratos uelim, ut quam hucuſque patientiam præ uobis tuliſtis, pauliſper adhuc adhibere ne recuſetis. Atque ego quidem ita exiſtimo, uiri Aurel. cùm ea ſit patientia, qua nihil homini maius, nihil præſtantius accidere poteſt, quemadmodum

omne

omne datum optimũ, & omne donum perfectũ, ut diuus ait Iacobus, ita eam quoque à patre luminum Deo inquã Opt. Max. deſcendere. Ad cũ itaq;, tanquam ad ſacrã aliquã anchoram, nobis eſt confugiendũ, quoties calamitatũ ſeuißimæ exoriuntur procellæ, & inſanißimi malorũ fluctus nos impetunt. Atq; eius quidem auxilium eò alacrius implorare debemus, quod in rebus aduerſis id nobis non defuturũ, apud Diuum Ioannem clarißima uoce teſtetur. In mundo quidem preſſuram habebitis, ſed confidite. Ego uici mũdum. Potuit'ne uel liberalius, uel ſignificantius ſuũ in malis auxilium nobis polliceri? Cùm itaq; deum in aduerſis adiutorem habeamus, tam'ne humili, et abiecto animo erimus, ut ingruẽtes ærũnarum turbines formidemus? Atqui is eſt, qui Ioãni in Apocalypſi dicit. Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quòd non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, et non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Quæ cùm Ioanni dicit, an nõ nobis apertè præcipere uidetur, ut quoad eius fieri poterit, præclara eius facta imitemur? Porrò cũ Dei auxilium ſit nobis ſemper paratũ, diligẽter elaborandũ eſt, ne eo indigni reputemur, et cũ is præſidiũ ſuũ nobis non deneget, qui ſolus omnia poteſt, cauendũ eſt ne nos nobis ipſis defuiſſe uideamur. Tentandæ ſunt itaq; uires noſtræ, et quid Dei auxilio freti poßimus, ſedulò eſt experiendũ. Maximũ autẽ, quod ad nos quidem attinet, in malis eſt ſolatium, & ad confirmandã animi patientiã munitißimum propugnaculum, ſi nos ita geramus, ut nullius criminis nobis conſcij, nullius affines culpæ patiamur.

Pulchrè Phocion cuidam cum ad mortem innocẽtem duci ægrè ferenti reſpondit An tu me mauis nocentem? Pulcherrimè conſtantiſſimus Chriſti Apoſtolus Petrus: Hæc eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſed ſi benefacientes, patienter ſuſtinentis, hæc eſt gratia apud Deum. Quantum uerò ad omnia fortiter ferenda, præſidij nobis afferri poſſe putatis, ſi à Stoicis hoc firmum, & immotũ acceperimus, nullum eſſe præter uirtutem bonum: nullum, uitio excepto, malum: reliqua autẽ omnia, quæ plerisque tantopere formidanda uidentur, ἀδιάφορα, ſeu Latinè mauis, indifferentia ut dicemus? Diuus certè Iacobus, tantum abeſt, ut ea mala exiſtimet, ut duodecim tribubus in diſperſione ſcribere non dubitet. Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in Varias tentationes incideritis, ſcientes, quòd probatio fidei ueſtræ patientiã operatur. Neq; uerò ad forti animo ferenda fortunæ tela parũ nobis contulerit, ſi, quæcunque potuerint accidere, ea diuturna apud nos cogitatione repetamus. Solẽt enim ea leuius tela ferire, quæ eminus uenientia, diu antè preuideris. Luculentè profectò Sophocles.

ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν
εἰς φροντίδας νοῦν, συμφορὰς τ' ἐβαλλόμην,
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς,
θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς,
ὡς εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζόν ποτε
Μή μοι νεωρὲς προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

Quod eleganter imitatus eſt in Phormione Terentius.

Omnes

Omnes cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maximè meditari ſecum oportet, quo pacto ærũnam aduerſam ferant. Pericla, damna, exilia, peregrè rediens ſemper cogites, Aut filij peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ, Communia eſſe hæc, fieri poſſe, ut ne quid animo ſit nouũ. Quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro. Sed quantum, quæſo, nobis ad aſſequendam patientiam conducet, ſi nobis in mẽtem uenerit, hac potißimùm ratione effici, ut germani, & non adulterini Dei filij, à Deo Opt. Max. reputemur? Quotidie Pater noſter clamamus: ſed eum tum demum uerè patrem appellare poterimus, cùm uarijs ſæuientis fortunæ experimentis, non ſecus, ac aurum in fornace, probati fuerimus. Fili mi, inquit, ex Solomone ſanctißimus Paulus, noli negligere diſciplinam domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate, tanquam filijs offert ſe uobis Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis. Potuit'ne uel apertius, uel ſignificantius doctor gentium nobis oſtendere, nos per patientiam dei filios effici? Audiui à medicis, nihil eſſe periculoſius, quàm τὴν ἐπ᾽ ἄκρω), quam uocant εὐεξίαν, id eſt, optimum illum, & cui nihil addi poteſt, corporis habitum: ita &, quod ad animæ attinet ſalutẽ, nihil pernicioſius exiſtimandum eſt, quàm redundãtem illam, & ad nutum fluentem bonorum omnium copiam. Porrò, neque ullos grauiores eſſe morbos comperias, quàm, qui minus ſentiuntur: nec ulla aut

promptius, aut melius curare medicamenta, quàm quæ ſunt, ut Græci dicunt, δριμύτερα: id eſt, acriora, & ab ἀνωδύνοις longiſſimè diſtantia. Quæ omnia faciunt, ut, quæ nobis aduerſa eueniunt, non ſolùm repellere, ſed etiam, tanquam certiſſima ſalutis remedia, lubentiſſimè excipere, & amplecti debeamus. Quid uerò maxima fortiſſimorum uirorum, qui difficillima quæque magno animo tulere, copia, ad aſſequendam'ne patientiam parum nos adiuuabit? Quorum quidem externa, ut Socratis, Phocionis, Reguli, & reliquorum tam Græcorum, quàm Romanorum exempla, qui uolet, ab hiſtoricis petat. Veteris teſtamenti Patrum patientiam qui ſcire expetet, & ſacram hiſtoriam, & diuum Cyprianum de bono patientiæ legat. Martyres, qui pro Chriſti fide uel immaniſſima quæuis tormenta paſſi ſunt, enumerare ſi uellem, non ſolùm hic dies, ſed ne annus quidem ſatis eſſet. Quid Mori, & Roffenſis recentiſſima exempla? quorum ut eximia doctrina, & acta olim ſanctiſſimè uita, mihi pulcherrimè fuit cognita: ita mors generoſiſſima, ad omnia, quæ euenerint, intrepidè ferenda, ſingularis debet eſſe doctrina. De quibus plura dicerem, niſi, & me uos iam diu remoratum eſſe ſcirem, & ſummas eorum laudes, ingenij culpa deterere, magnopere timerem. Quid te Raynalde Pole Anglorum omnium ſanctiſſime, non multis abhinc menſibus, ob ſummam eruditionem, & inſignem uitæ probitatem Cardinalis electe? te'ne, in quàm, in hoc pulcherrimo fortiſſimorum uirorum catalogo prætermittam? Ego uerò citra maximi ſceleris nō-

tam,

tam id me facere non poſſe exiſtimo. Quis enim te fortior, quis conſtantior dici, aut fingi poteſt? qui neque ullis unquam præmijs allici, neque minis deterreri potueris, quò minus, quam uerißimam uidebas ſententiam, eam conſtantißimè, et fortißimè defenderes? Illuxit mihi profectò totius meæ uitæ dies ille iucundißimus, quo me humanißimè Lutetiam ad te accerſitum, quinque annis poſt meum à te diſceſſum tanta beneuolentia excepiſti, ut poſt tantum temporis interuallum, tuum in me ſtudium non modò ulla ex parte diminutum, ſed multò magis auctum, & accumulatum uideretur. Quo in congreſſu non potui non admirari, quod et matris tuæ primariæ fœminæ, quæ Sariſberienſis comes eſt, & chariſsimorum fratrum, Henrici Montis acuti domini, & Iafredi Equitis aurati, & tuorum è fratribus nepotum mei amantißimorum, & præceptorem unicè obſeruantium diſcipulorum deſyderium tam forti animo ferres. Non poteras tamen non & tuorum recordatione, & à natura inſita patriæ charitate nonnihil interdum non commoueri. Memini enim, cùm tu me inter loquendum, felicem appellare non ſis ueritus, quòd in pulcherrima Galliæ urbe, in iucundißima amicorum, & neceſſariorum conſuetudine, in frequentißima doctis uiris Academia, in patria denique mea, in literis conſeneſcerem. Atque ego non mihi quidem eo tempore felix: quis enim eſt tam impudens, qui hoc ſibi arrogare audeat? ſed à plurimis, quibus diu fueram oppreſſus, miſerijs paulisper recreatus uidebar, & me aßiduis malorum procellis diu iactatum, Aureliam, tanquam in tutißimum portum, recepiſſe

gaudebam. Sed ô fallaces meæ ſpes! ô inanes cogitationes! Plus ego mali uno die Aureliæ ſenſi, quàm, quantum quatuordecim annis, quibus peregre ſemper fui, continuis exhauſi. Audebo itaque me non in fortium quidem uirorum, quod meritò impudens eſſem, ſi mihi inſolenter arrogarem, ſed in eorum ſaltem, qui grauiſsima, & indigniſsima perpeſsi ſunt, numero me recenſere. Cùm enim uitæ meæ, ab ineunte ætate, curſum, memoria repeto, quid me magis exercitum, magis ſolicitum dici, aut fingi poteſt: qui cùm humili loco eſſem natus, nullis nec parentum, nec amicorum præſidijs adiutus, omni autem mea cogitatione, & omni animi impetu, ad mediocrem aliquam, quam mihi ſemper animo proponebam, eruditionem contenderem, quantis (bone Deus!) laboribus, quãtis uigilijs, quãtis ſudoribus mihi fuit opus, ut, quas uidebam difficultates maximas, uel inuita, et reluctante fortuna ſuperarem? Concidiſſem profectò, & nec ad modicam hanc, quam in me uidetis, doctrinam, peruenire potuiſſem, niſi uiri aliquot honeſtiſsimi, grauiſsimè laboranti manum præbuiſſent. Quibus omnibus tantum me debere profiteor, ut nihil ſit, quod non à me ſuo iure poſsint exigere. Eorum autem tres, in meliores, ut ſpero, & opto, ſedes conceſſerunt: in Gallia quidem Ioannes Lodæus, erudiendæ iuuentutis artifex optimus: in Anglia Thomas Lupſetus præceptor meus, uir Græcè, & Latinè doctus, & ſingulari ingenij dote preditus: Arcturus Polus eques auratus: quo homine nihil unquam finxit natura humanius, nihil in uiros doctos beneficentius. Viuit adhuc, et diu precor ſit nobis ſuperſtes Petrus Berucrius Aureliæ aduocatus regius,

gius, uir, ut omnes facilè intelligunt, & prudentiſsimus, et iuris peritiſsimus: quem utinam ſui imitentur nepotes: domeſticum quidem certè habent exemplum longè pulcherrimum ad imitādum. Viuit Nicolaus Beraldus *maximum Aureliæ decus. Viuit & is, de quo nuper dicebam,* Cardinalis Raynaldus Polus: *quo uiro, ſi uitam ſpectes, nihil ſanctius: ſi doctrinam, &* Græcè, & Latinè *doctiſsimus, & diuinarum literarum peritiſsimus: ſi genus, ex* Anglorum *regia familia oriundus. Cui cùm à paucis annis grauiſsima, & indigniſsima ferenda fuerint, eò leuiùs fero, ſi, quæ patrono acciderint, ea quoque eueniant clienti.* Neq; *uerò hic enumerabo, quæ mihi quatuordecim annorum, quibus peregre uerſatus ſum, interuallo, contigerunt: quæ tot, & tanta fuerunt, ut nec plura, nec grauiora, decem illis, quibus errauit annis,* Vlyſſes *paſſus ſit: ad ea enim, quæ nuperrimè acciderunt, omnium autem acerbiſſima fuerunt, mea feſtinat oratio.* Extremus *hic meæ in hodiernum diem uitæ fuit actus, ut duobus ab hinc annis, & ſeptem plus minus menſibus, ad inſtituendam in humanioribus literis iuuentutem accederem.* Qua *in re tantum operæ, tantum ſtudij, tantum diligentiæ collocaui, ut ex meis diſcipulis nulli ſint, ſint licet nonnulli omnium ingratiſsimi, qui non per me plurimùm in literis ſe profeciſſe agnoſcant, & multò plus fuiſſe profecturos, ſi meæ in docendo diligentiæ, eorum in excipiendo, quod paſsim hodie deſyderari uideo, labor reſpondiſſet.* Neque *uerò minus in componendis, & corrigendis eorum moribus, quos corruptiſsimos acceperam, laborandum mihi fuit.* Illud *autem mihi aliquandiu non moleſtiſsimum eſſe non*

exclamet Paulus, ubi nunc mors gloriatio tua? Vbi nunc ſtimulus tuus? Cuius fortiſsimi imperatoris exemplum ſecuti, & uehemētiſsimo amore inflammati Martyres nobiliſsimi, nullā ignominiam recuſarunt, nullam calamitatem non ſuſtinuerunt, nullū ſupplicij, nullum denique mortis genus non gaudentes, & exultantes adierunt, ut non ſolū per gloriā, ſed in æterna cū Chriſto gloria uiuerēt. Quorum exemplū qui non, ſi ſe offerat occaſio, ſequi paratus fuerit, is fruſtra fidem ſemper in ore habebit, & inanem charitatem iactabit. Ac de eo, quia pleni ſunt diuinæ pagine libri, plura dicere in præſentia ſuperſedebo, & ad reliqua quā breuiſsimè potero, expedienda me cōparabo. Vos quæſo, intereà, ut cœpiſtis, benignè pauliſper attēdite. Neque uerò in ijs quatuor, quæ morales appellātur uirtutes, explicādis, cùm de ijs ampliſsimus pateat dicendi campus, diu immorabor, quarum nulla eſt, quæ non uel patientia comparetur, uel non ſibi adiunctā indiuiduam comitē habeat patientiam. Quis enim citra laborum, & grauiſsimarum rerum perpeſsionem, diuinarum, & humanarum rerum cognitionem, & expetendorum, & fugiendorum ſcientiam, quæ uirtutum omnium fons eſt, ſe aſſequi poſſe ſperet? Pulcherrimè profectò Homerus, qui cùm quid uirtus, & quid ſapientia poſsit, Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem: nullis eum epithetis lubētius ornare ſoleat, quàm, ut eum πολυμήχανον ὀδυσσέα, & πολύτλαντα appellet. Videbat uir ſapientiſsimus nullū inſigni ſapientia præditum eſſe poſſe, qui non infinitis laboribus, uigilijs, exercitijs, ſudoribus, maximo denique rerum uſu eam ſibi comparaſſet. Quò fit, ut eundem & multi conſilij uirum,

rum, et plurima paſſum appellet, quē ſapientē exiſtimet. Quid omniū uirtutū ſplendor, & decus Iuſtitia? quæ cùm elegantiſsimè à iuriſconſulto definitur, conſtans, & perpetua uoluntas ius ſuum unicuique tribuens, quis non intelligit eum demum iuſtum iure dici debere, qui talis eſt, qualem è Stoicorum diſciplina elegantiſsimè deſcribit Horatius.

Iuſtum, & tenacem propoſiti uirum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna iouis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

De animi uerò magnitudine nihil dico, quæ cùm in doloribus perferendis, & in ijs omnibus, quæ uulgò formidanda uidentur, fortiter contemnendis uerſetur, fit, ut ſuo ſibi iure patientiam poſsit uendicare. Quid temperantia? quæ cùm cohibere uoluptates, & refrenare libidines nos doceat, non immeritò Plato de legibus primo eiuſdem eſſe uirtutis ſcribit, & metum procul arcere, & uoluptatibus reſiſtere. Quibus repugnare quantæ, quæſo, eſt patiētiæ, cùm ſanctiſsimus Paulus, quibuſdam ueluti ſtimulis exagitatus non uereatur dicere: Video aliam legem in mēbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ eſt in membris meis: ſed quò eſt certamen difficilius, eò glorioſior futura uictoria eſt: quam cùm ſola patientia gratia Dei munita poſsit nobis parare,

quanti, quæſo, faciendam, et quanto in honore habendam ſentitis? Videtis, uiri Aurel. quantum ſit patientiæ decus, quantus ſplendor, quanta dignitas, & gloria, quæ nos, & Deo ſimiles reddit, & artes, & ſcientias acquirit, ad omne denique uirtutis genus inſtruit. Quòd ſi ad eam perſequendam, & diligentiſſimè retinendam nos honeſtum per ſe non mouet, an nō utilitas, qua Aureliæ imprimis ducimur, nos ſaltem magnopere inflammabit? Quæ in hac pulcherrima uirtute tanta eſt, ut nulla in rebus humanis maior dici, aut cogitari poſſit. Cùm enim infinitis malorum myriadibus ſit hominum uita obnoxia, & pulchrè quidem cecinerit Homerus:

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Et Heſi. πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα, *& Sophocles* κακῶν δ' ὑσάλωτος οὐδείς. *cui ſuffragatur Vergilianum illud.*

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit, ſubeunt curæ, triſtiſq; ſenectus,
Et morbi, & duræ rapit inclementia mortis.

Quæcùm ita ſint, et nullus ſit, qui ea ulla ratione poſſit effugere, quid, quæſo, utilius, quàm patientiæ armaturam indui, qua muniti quæcunq; nobis acciderint: forti, et cōſtanti animo perferre ualeamus, et humana omnia noſtra uirtute inferiora ducamus? Egregiè profectò Euripid.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Quo ſignificatur nullum eſſe caſum, tam grauem, nullam calamitatem, tam terribilem, quam nō fortis uiri animus

mus patientia, munitus æquo animo poßit ſuſtinere.
Pulchrè ex Solonis ſententia Ouidius:

–Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini: diciq́; beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq́; funera debet.

Sed quis uel poſt funera ſe beatũ fore ſibi perſuadeat, qui omnium malorum ut ultimum, ita longè, ut creditur, grauißimum, mortem ſcilicet ſibi ſubeundam intelligat, niſi ad eam fortiter ferendam ſe diligentißimè inſtruat? Diuinißimè profectò Demoſthenes: πέρας ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις καθείρξας αὐτὸν τηρῇ, δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασι ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένοις ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅτι ὁ θεὸς διδῷ γενναίως. *Omnibus, inquit, hominibus, uitæ finis mors eſt, etiam ſi in domuncula incluſum ſe quiſpiam ſeruauerit. Oportet autem bonos uiros, omnia quidem honeſta, bona ſpe propoſita aggredi, quicquid autem deus dederit, forti, et generoſo animo pati. Accedit ijs, quod cùm citra uariarum ab homine ſolertißimè inuentarum artium præſidium non commodè uiui poßit, eas quidem omnes patientiæ, tanquam prudentißimæ omnium magiſtræ, acceptas ferre debemus. Quod elegantißimè in Georg. innuit Vergil, cùm ſcribit:*

–Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe uiam uoluit, primusq́; per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno.

Quem locum ita paulò pòſt concludit,

Tum uariæ uenere artes: labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Quod mihi pulchrè uidetur in Pluto *Ariſtophanes ſi gnificaſſe, cùm* Peniæ *ſuæ, quæ paupertas eſt, artes omnes adſcribit, & citra eam, omnia ab hominibus prudenter excogitata corruitura dicit.* Penia *certè, citra patientiam nihil præclarum inuenire, nec memoria dignum excogitare poteſt. Quanta uerò patientiæ eſt utilitas, quòd cùm ſit omnium maximè timendum, ne rebus ſecundis, & ad nutum fluentibus ſuperbi, & inſolentes reddamur, ea ſola nimis elatam ſuperbiam cohibet, & nos homines eſſe admonet?* Diuiniſſimè *profectò, ut omnia,* Paulus. *Ne magnitudo, inquit, reuelationum me extollat, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quo fit, ut quò eſt grauius, & quod reliqua longè ſuperat, ſuperbiæ peccatum, eò ſit utilius, quod id reprimit, patientiæ bonum. Sed quid, dicet fortaſſe aliquis,* Patientiam *& honeſtiſſimam eſſe, quæ nos deo ſimileis reddat, ſcientias, & uirtutes doceat: utiliſſimam, quæ ad ferenda, quæ cauere non poſſumus, mala, nos inſtruat, artes in lucem proferat, ſuperbiam coërceat, me iuuat cognoſcere, niſi eius comparandæ nos rationem doceas?* Bene admones, *& quoniam me id eſſe pollicitum paulò antè memini, de eo aliquid dicam: ſed ita paucis, ut ad orationis metam me tam citò ueniſſe miremini.* Vos *autem oratos uelim, ut quam huc uſque patientiam præ uobis tuliſtis, pauliſper adhuc adhibere ne recuſetis.* Atque *ego quidem ita exiſtimo, uiri* Aurel. *cùm ea ſit patientia, qua nihil homini maius, nihil præſtantius accidere poteſt, quemadmodum*

omne datum optimũ, & omne donum perfectũ, ut diuus ait Iacobus, ita eam quoque à patre luminum Deo inquã Opt. Max. deſcendere. Ad eũ itaq;, tanquam ad ſacrã aliquã anchoram, nobis eſt confugiendũ, quoties calamitatũ ſeuiſſimæ exoriuntur procellæ, & inſaniſſimi malorũ fluctus nos impetunt. Atq; eius quidem auxilium eò alacrius implorare debemus, quod in rebus aduerſis id nobis non defuturũ, apud Diuum Ioannem clariſſima uoce teſtetur. In mundo quidem preſſuram habebitis, ſed confidite. Ego uici mũdum. Potuit'ne uel liberalius, uel ſignificantius ſuũ in malis auxilium nobis polliceri? Cùm itaq; deum in aduerſis adiutorem habeamus, tam'ne humili, et abiecto animo erimus, ut ingruẽtes ærũnarum turbines formidemus? Atqui is eſt, qui Ioãni in Apocalypſi dicit. Scio opera tua, & laborem, & patientiam, & quòd non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, et non ſunt, & inueniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Quæ cùm Ioanni dicit, an nõ nobis apertè præcipere uidetur, ut quoad eius fieri poterit, præclara eius facta imitemur? Porrò cũ Dei auxilium ſit nobis ſemper paratũ, diligẽter elaborandũ eſt, ne eo indigni reputemur, et cũ is præſidiũ ſuũ nobis non deneget, qui ſolus omnia poteſt, cauendũ eſt ne nos nobis ipſis defuiſſe uideamur. Tentandæ ſunt itaq; uires noſtræ, et quid Dei auxilio freti poſſimus, ſedulò eſt experiendũ. Maximũ autẽ, quod ad nos quidem attinet, in malis eſt ſolatium, & ad confirmandã animi patientiã munitiſſimum propugnaculum, ſi nos ita geramus, ut nullius criminis nobis conſcij, nullius affines culpæ patiamur.

Pulchrè Phocion cuidam eum ad mortem innocētem duci ægrè ferenti reſpondit An tu me mauis nocentem? Pulcherrimè conſtantiſſimus Chriſti Apoſtolus Petrus: Hæc eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gratia, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſed ſi benefacientes, patienter ſuſtinentis, hæc eſt gratia apud Deum. Quantum uerò ad omnia fortiter ferenda, præſidij nobis afferri poſſe putatis, ſi à Stoicis hoc firmum, & immotū acceperimus, nullum eſſe præter uirtutem bonum: nullum, uitio excepto, malum: reliqua autē omnia, quæ plurimis tantopere formidanda uidentur, ἀδιάφορα, ſeu Latinè mauis, indifferentia iudicemus? Diuus certè Iacobus, tantum abeſt, ut ea mala exiſtimet, ut duodecim tribubus in diſperſione ſcribere non dubitet. Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in Varias tentationes incīderitis, ſcientes, quòd probatio fidei ueſtræ patientiā operatur. Neq; uerò ad forti animo ferenda fortunæ tela parū nobis contulerit, ſi, quæcunque potuerint accīdere, ea diuturna apud nos cogitatione repetamus. Solēt enim ea leuius tela ferire, quæ eminus uenientia, diu antè præuideris. Luculentè profectò Sophocles.

ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινὸς μαθὼν
εἰς φροντίδας νοῦν, ξυμφορὰς τ᾽ ἐβαλλόμην,
φυγάς τ᾽ ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρης ἐμῆς,
Θανάτους τ᾽ ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς,
Ὡς εἴ τι πάσχοιμ᾽ ὧν ἐδόξαζον ποτε
Μὴ μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκνῃ.

Quod eleganter imitatus eſt in Phormione Terentius.

Omnes

Omnes cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maximè medi-
tari ſecum oportet, quo pacto ærũnam aduerſam ferant.
Pericla, damna, exilia, peregrè rediens ſemper cogites,
Aut filij peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ,
Communia eſſe hæc, fieri poſſe, ut ne quid animo ſit nouũ.
Quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in
lucro. Sed quantum, quæſo, nobis ad aſſequendam patien-
tiam conducet, ſi nobis in mẽtem uenerit, hac potißimùm
ratione effici, ut germani, & non adulterini Dei filij, à
Deo Opt. Max. reputemur? Quotidie Pater noſter cla-
mamus: ſed eum tum demum uerè patrem appellare pote
rimus, cùm uarijs ſæuientis fortunæ experimentis, non ſe-
cus, ac aurum in fornace, probati fuerimus. Fili mi, inquit,
ex Solomone ſanctißimus Paulus, noli negligere diſcipli-
nam domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem
enim diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem
filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate, tanquam
filijs offert ſe uobis Deus: quis enim filius, quem non
corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius
participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij
eſtis. Potuit'ne uel apertius, uel ſignificantius doctor gen-
tium nobis oſtendere, nos per patientiam dei filios effici?
Audiui à medicis, nihil eſſe periculoſius, quàm τὴν ἐπ᾽
ἄκρ᾽, quam uocant εὐεξίαν, id eſt, optimum illum, &
cui nihil addi poteſt, corporis habitum: ita &, quod ad
animæ attinet ſalutẽ, nihil pernicioſius exiſtimandum eſt,
quàm redundãtem illam, & ad nutum fluentem bonorum
omnium copiam. Porrò, neque ullos grauiores eſſe mor-
bos comperias, quàm, qui minus ſentiuntur: nec ulla aut

promptius, aut melius curare medicamenta, quàm quæ ſunt, ut Græci dicunt, δριμυτέρα: id eſt, acriora, & ab ἀνωδύνοις longiſsimè diſtantia. Quæ omnia faciunt, ut, quæ nobis aduerſa eueniunt, non ſolùm repellere, ſed etiam, tanquam certiſsima ſalutis remedia, lubentiſsimè excipere, & amplecti debeamus. Quid uerò maxima fortiſsimorum uirorum, qui difficillima quæque magno animo tulere, copia, ad aſſequendam'ne patientiam parum nos adiuuabit? Quorum quidem externa, ut Socratis, Phocionis, Reguli, & reliquorum tam Græcorum, quàm Romanorum exempla, qui uolet, ab hiſtoricis petat. Veteris teſtamenti Patrum patientiam qui ſcire expetet, & ſacram hiſtoriam, & diuum Cyprianum de bono patientiæ legat. Martyres, qui pro Chriſti fide uel immaniſsima quæuis tormenta paſsi ſunt, enumerare ſi uellem, non ſolùm hic dies, ſed ne annus quidem ſatis eſſet. Quid Mori, & Roffenſis recentiſsima exempla? quorum ut eximia doctrina, & acta olim ſanctiſsimè uita, mihi pulcherrimè fuit cognita: ita mors generoſiſsima, ad omnia, quæ euenerint, intrepidè ferenda, ſingularis debet eſſe doctrina. De quibus plura dicerem, niſi, & me uos iam diu remoratum eſſe ſcirem, & ſummas eorum laudes, ingenij culpa deterere, magnopere timerem. Quid te Raynalde Pole Anglorum omnium ſanctiſsime, non multis abhinc menſibus, ob ſummam eruditionem, & inſignem uitæ probitatem Cardinalis electe? te'ne, in quàm, in hoc pulcherrimo fortiſsimorum uirorum catalogo prætermittam? Ego uerò citra maximi ſceleris notam,

tam ilme facere non poſſe exiſtimo. Quis enim te fortior, quis conſtantior dici, aut fingi poteſt? qui neque ullis unquam præmijs allici, neque minis deterreri potueris, quò minus, quam uerißimam uidebas ſententiam, eam conſtantißimè, et fortißimè defenderes? Illuxit mihi profectò totius meæ uitæ dies ille iucundißimus, quo me humanißimè Lutetiam ad te accerſitum, quinque annis poſt meum à te diſceſſum tanta beneuolentia excepiſti, ut poſt tantum temporis interuallum, tuum in me ſtudium non modò ulla ex parte diminutum, ſed multò magis auctum, & accumulatum uideretur. Quo in congreſſu non potui non admirari, quod et matris tuæ primariæ fœminæ, quæ Sariſberienſis comes eſt, & chariſsimorum fratrum, Henrici Montis acuti domini, & Iafredi Equitis aurati, & tuorum è fratribus nepotum mei amantißimorum, & præceptorem unicè obſeruantium diſcipulorum deſyderium tam forti animo ferres. Non poteras tamen non & tuorum recordatione, & à natura inſita patriæ charitate nonnihil interdum non commoueri. Memini enim, cùm tu me inter loquendum, felicem appellare non ſis ueritus, quòd in pulcherrima Galliæ urbe, in iucundißima amicorum, & neceſſariorum conſuetudine, in frequentißima doctis uiris Academia, in patria denique mea, in literis conſeneſcerem. Atque ego non mihi quidem eo tempore felix: quis enim eſt tam impudens, qui hoc ſibi arrogare audeat? ſed à plurimis, quibus diu fueram oppreſſus, miſerijs paulißper recreatus uidebar, & me aßiduis malorum procellis diu iactatum, Aureliam, tanquam in tutißimum portum, recepiſſe

gaudebam. Sed ô fallaces meæ ſpes! ô inanes cogitationes! Plus ego mali uno die Aureliæ ſenſi, quàm, quantum quatuordecim annis, quibus peregre ſemper fui, continuis exhauſi. Audebo itaque me non in fortium quidem uirorum, quod meritò impudens eſſem, ſi mihi inſolenter arrogarem, ſed in eorum ſaltem, qui grauiſsima, & indigniſsima perpeſsi ſunt, numero me recenſere. Cùm enim uitæ meæ, ab ineunte ætate, curſum, memoria repeto, quid me magis exercitum, magis ſolicitum dici, aut fingi poteſt: qui cùm humili loco eſſem natus, nullis nec parentum, nec amicorum præſidijs adiutus, omni autem mea cogitatione, & omni animi impetu, ad mediocrem aliquam, quam mihi ſemper animo proponebam, eruditionem contenderem, quantis (bone Deus!) laboribus, quãtis uigilijs, quãtis ſudoribus mihi fuit opus, ut, quas uidebam difficultates maximas, uel inuita, et reluctante fortuna ſuperarem? Concidiſſem profectò, & nec ad modicam hanc, quam in me uidetis, doctrinam, peruenire potuiſſem, niſi uiri aliquot honeſtiſsimi, grauiſsimè laboranti manum præbuiſſent. Quibus omnibus tantum me debere profiteor, ut nihil ſit, quod non à me ſuo iure poſsint exigere. Eorum autem tres, in meliores, ut ſpero, & opto, ſedes conceſſerunt: in Gallia quidem Ioannes Lodæus, erudiendæ iuuentutis artifex optimus: in Anglia Thomas Lupſetus præceptor meus, uir Græcè, & Latinè doctus, & ſingulari ingenij dote preditus: Arcturus Polus eques auratus: quo homine nihil unquam finxit natura humanius, nihil in uiros doctos beneficentius. Viuit adhuc, et diu precor ſit nobis ſuperſtes Petrus Beruerius Aureliæ aduocatus regius,

gius, uir, ut omnes facilè intelligunt, & prudentiſſimus, et iuris peritiſſimus: quem utinam ſui imitentur nepotes: domeſticum quidem certè habent exemplum longè pulcherrimum ad imitãdum. Viuit Nicolaus *Beraldus maximum Aureliæ decus. Viuit & is, de quo nuper dicebam, Cardinalis* Raynaldus Polus: *quo uiro, ſi uitam ſpectes, nihil ſanctius: ſi doctrinam, &* Græcè, *&* Latinè *doctiſſimus, & diuinarum literarum peritiſſimus: ſi genus, ex* Anglorum *regia familia oriundus. Cui cùm à paucis annis grauiſſima, & indigniſſima ferenda fuerint, eò leuiùs fero, ſi, quæ patrono acciderint, ea quoque eueniant clienti. Neq; uerò hic enumerabo, quæ mihi quatuordecim annorum, quibus peregre uerſatus ſum, interuallo, contigerunt: quæ tot, & tanta fuerunt, ut nec plura, nec grauiora, decem illis, quibus errauit annis, Vlyßes paſſus ſit: ad ea enim, quæ nuperrimè acciderunt, omnium autem acerbiſſima fuerunt, mea feſtinat oratio. Extremus hic meæ in hodiernum diem uitæ fuit actus, ut duobus ab hinc annis, & ſeptem plus minus menſibus, ad inſtituendam in humanioribus literis iuuentutem accederem. Qua in re tantum operæ, tantum ſtudij, tantum diligentiæ collocaui, ut ex meis diſcipulis nulli ſint, ſint licet nonnulli omnium ingratiſſimi, qui non per me plurimùm in literis ſe profeciſſe agnoſcant, & multò plus fuiſſe profecturos, ſi meæ in docendo diligentiæ, eorum in excipiendo, quod paßim hodie deſyderari uideo, labor reſpondiſſet. Neque uerò minus in componendis, & corrigendis eorum moribus, quos corruptiſſimos acceperam, laborandum mihi fuit. Illud autem mihi aliquandiu non moleſtiſſimum eſſe non*

potuit, quod à neſcio quo perſuaſi, ea inter ſe quotidiano ſermone agitarẽt, quæ ad Chriſtianã iſtã, quæ à multis hodie prætexitur, libertatem, id eſt ad diſſolutiſsimam, intemperantiſsimã, & quæ nulli uel recta præcipienti, uel honeſta iubenti obedire uelit, uitam pertinerẽt. Quod quidem eò lubentius adduco, quòd, ſi quid grauius, quod Chriſtus Opt. Max. auertat, in poſterum acciderit, uelim omnes intelligant, me non modò non huic affinem eſſe culpæ, ſed ut caueretur, diligenter prouidiſſe. Teſtor Deum Opt. Max. me meos diſcipulos, ut cauerent, ſæpe admonuiſſe, & hæc CHRISTI Imperatoris noſtri uerba ad eos reuocandos frequenter adduxiſſe. Attendite à falſis prophetis, qui ueniunt ad uos in ueſtimentis ouium: intus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala arbor malos fructus facit. Illud etiam Petri frequenter uſurpaui, quo noſtri temporis hæreticos ita deſcribit, ut non potuerit magis graphicè depingere. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim uanitatis loquẽtes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis. Quod itaq; hac in re faciendũ fuit, ego me id ita feciſſe arbitror, ut nemo ſit, qui me iure poſsit reprehendere. Atq; utinã eam, quæ domi meæ latebat, pernicioſiſsimã peſtẽ æquè potuiſſem præſentiſcere. Sed hæc mea fuit infelicitas, qua nulla mihi maior poterat accidere, quòd boni, & uirtutis ſpecie uelata impro

improbitas mihi oculos præſtrinxit, et nonnullorum, qui domi meæ quotidie uerſabantur, ea, ut leuiſsimè dicam, fuerit malignitas, quòd cùm ea, quæ fiebant propter eas, quas ſciunt, & non negant cauſas, odore quodam ſuſpitionis facilè olfeciſſent, & certa poſteà ſecuti ueſtigia, eruiſſent, ea quidem plurimis paſsim indicarunt: me autẽ, cuius imprimis hoc intererat, ſolum celauerunt. Quòd niſi de re ſeria maxima inter nos contentio eſſet exorta, quæ domi meæ inteſtina hærebant mala, omnis populus reſciuiſſet: ego ſolus ignoraſſem. Quod cuiuſmodi ſit, non uos mecum, quæſo, uidetis, uiri Aurel. Tu domum meam quotidie uentites: quæ fiant, curioſiſsimè inueſtiges: & cùm me ita familiariter utare, ut ſi tibi mea, cuiuſmodicũque, ſcribendi facultate, ut ſæpius fuit, opus ſit, me audacter roges: ea autem, quæ ad totius meæ familiæ luem, & perniciem pertineant, cùm reſciſcas, cæteris ferè omnibus diuulges, mihi ſoli non communices, ſed petulantiſsimo tandem conuitio, nõ dico expromas, ſed turpiter euomas? Et tu intereà te ſacrarum literarum cognitione iactitas, & pulcherrimum Chriſtiani nomen, quod factis negas, tibi uendicas? Hoc'ne tibi pium, hoc pulchrum, hoc honeſtum, hoc deniq; Chriſtianum uidetur? Ego quidem, quid tu cogites, neſcio: hoc ſcio, neminẽ eſſe in hoc ornatiſsimo coetu, qui non hoc à te, quicunque is ſis (neque enim à me nominabere: neq; cõmittam, quàmuis atrociſsima à te iniuria affectus, ut aliquid à me nõ Chriſtianè factũ meritò uociferere) qui non hoc inquã à te, non dico non Chriſtianè, ſed non improbiſsimè factum intelligat. Quid, quòd intra eos te limites nõ continuiſti, ſed ut extremũ malitiæ tuæ

colopho

colophonẽ, ut ita dicam, imponeres, eò uſque proceßiſti, ut quouis Turca, qui cuiuſmodicunque ſit, certè homo eſt, nequior uideare. Quid turpius, quid flagitioſius, quã in innocentem crimen ullum conferre? Quid magis exe- crandum, quàm amici perniciem quærere? At tu inuen- tus es, qui in uirum innocentißimũ, & de te, et tuis omni- bus optimè meritum crimen atrocißimum auſus ſis con- fingere, & eum aduerſus me ſolicitare, qui (dicam auda- cter, ſed uerè) qui, inquàm, diſrumparis licet, mihi nõ mi- nus debet, quàm patri, ſi uerum eſt, quod præclarißimè di xit Ariſtoteles, Deo, parentibus, & magiſtris gratiam nõ poſſe referri. Scelus eſt amico nocere, facinus in innocentẽ crimen conferre: quid dicam amicum, & de te optimè me ritum falſißimis probris, & maledictis appetere? Ac de tuo quidem maledicto tacere ſtatueram, quòd is ſim, qui recta animi conſcientia fretus, à uulgi ſermonibus non pen deam, & me extrà quærere non ſoleam: quoniam tamen hanc eſſe maledicti naturam intelligo, ut, quod ait uerißi- mè Cicero, celeriter excipiatur, latißimè diffundatur, & noſtram quidem uitam nobis neceſſariam: proximo autẽ famam ſanctißimè dicit Auguſtinus, de eo pauca, ſed quã fieri poterit breuißimè, dicam. Neque uerò ea, quæ ſunt impudentißimi tui mendacij ualidißima, & certißima ar gumenta, afferam, te non niſi poſt duos annos, & ſeptem plus minus menſes eius unquàm rei meminiſſe, & eo tem- pore meminiſſe, quo propter neſcio quã, quam tamen fal- ſam uelim ſuſpitionem, tuam non gratam eſſe domi meæ cõ ſuetudinem præ me tuleram, quoq; aliquod tibi à me peri culum creari putabas. In quo ualde fallebare: tantùm enim

uni,

uni, quem noſti, uiro debeo, ut eius cauſa non ſolùm omnes quàntumuis graues iniurias condonare, ſed uel meis acerbißimis hoſtibus gratificari ſim paratus. Hæc, inquam, omnia prætermittam: hoc tantùm dicam. Ego à mea in Angliam profectione, quo tempore quartumdecimum paulò minus agebam annum, duobus annis cum uiro doctißimo Thoma Lupſeto, qui neſcio quot abhinc annis mortuus eſt, in corporis Chriſti Collegio Oxoniæ habitaui: in nobilißima Polorum familia nouem annis permanſi: in Italia Patauij: quo tempore Longolij in Ciceronem annotationes exſcribebam, anno uno fui. Venetijs item uno, dum plurima Origenis, & Philonis, ex Nicenæ bibliotheca exemplaribus uolumina Græcè deſcripſi: Auenione, quinque menſibus, uirum iuriſperitißimum Franciſcum à Ripa audiui: illinc cùm diſceßiſſem, & propter grauißimum, in quem incideram, morbum Raynaldum Polum patronum meum, nuper Cardinalem creatum, in Italiam ſequi non potuiſſem, Aureliam ueni, ſeptem menſibus partim apud Stephanum Saucium uirum humanißimum, & ſingulari iuris cognitione præditum, partim apud Chriſtophorum Landrenum uirum in omni diſciplinarum genere egregiè uerſatum, habitaui. Burdegalæ anno uno, ubi Bernardi quidem Laheti aduocati Regij, & Iacobi Alaxeni medici, maxima in me beneficia ſenſi. Tarteſij autem improbißimi itidem hominis grauißimas iniurias pertuli. Aureliæ à meo Burdegala diſceſſu perpetuò iam quadriēnio ſedes fixi. Hoc ergo dico, ſi ullus ſit tam improbus, tam ſceleſtus, tam omnibus uitijs plenus, tam denique malignus, & tam tui dißimilis calumniator, qui te uno excepto,

pto, mihi uel leuiſsimum crimen, uel ioco obijciat, non recuſo, quò minus uerum exiſtimeris dixiſſe. Quòd ſi nemo ſit, ut neminem unquam futurum nõ dubito, à uobis peto, uiri Aurel. ut, ſi ullam de me malam ſuſpitionem fortè induiſtis, eam nunc re cognita exuatis, & eum in alijs quidem ſe fortaſſe rectè geſsiſſe, in hac re improbiſsimè feciſſe putetis. Videte, quæſo, in quàm iniquum locum conſcientiæ bonitate fretus deſcendo. Ego ex hoc ſuggeſtu, tanquam ex alta aliqua ſpecula clamo. Audi Anglia, Audi Italia, Audi Gallia, Audite cœli, & terra, Audi denique, quæ mihi patria es, Aurelia: Gentianus Heruetus fatetur uera eſſe, quæ à maledicentiſsimo homine petulantiſsimè dicta ſunt, ſi quis eum ullius quantumuis leuis criminis accuſare audeat. Ego quidem is ſum, qui ut omnium hominum mendaciſsimus eſſem, ſi peccatum me non habere dicerem: ita ueriſsimè poſsim dicere, quod Dei gratia, & miſericordia fretus dico, me ab omni crimine ita ſemper abhorruiſſe, ut non immeritò illud Horatij mihi poſsim uſurpare:

Nil conſcire mihi, nulla palleſcere culpa.

Quæ ſi uobis paulò arrogantius dici uidentur, uiri Aurel. mihi, quæſo, qui coactus ſum, ignoſcite: in eum autem, qui longè falſiſsimam contumeliam obiecit, culpam conferte. Quod quidem eò indignius exiſtimate, quod ego cum Pſalmiſta Dauid ueriſsimè poſsim dicere, Qui retribuunt mala pro bonis, eos mihi detrahere. Quàm uerò hoc moleſtum, quàm difficile, quàm uix tolerandum putatis, quòd, qui horum omnium malorum autores fuerunt, ij in alienis damnis inſolentiſsimè exultare, &, tanquam

quam parta inſigni uictoria, triumphum canere non erubeſcunt? Tu, cùm domi tuæ impuriſſimas libidines aliquot annis ſuſceperis, ea commiſeris, quæ uel puriſſimum aërem inficere, & Solem à nobis lucem ſuam auertere poſſent cogere: & è ludo tuo, tanquam ex equo Troiano, in rebus execrandis exercitatiſſimi principes proceſſerint, propter ea, quæ nuper euenere, & quorum tu præcipuã iure dicaris cauſam præbuiſſe, exultes: & cùm me, alioqui innocentiſſimum ueſtra cauſa reiectamentum, maledictum, atq; adeò peccatum, ferè dixerim, factum eſſe intelligas, non modò, quod tuæ erat humanitatis, non doleas, ſed gaudio geſtias, efferaris, exilias, totus denique triumphes? Sed me reprimam: nolo enim, dum patientiam laudo, nonnullis fortaſſe nimiùm impatiens uideri. Sola nunc ſupereſt, quæ nos ad patientiam inuitet, præmiorum magnitudo: quæ tanta ſunt, ut omnia fortunæ tela contemnere, omnes humanos caſus forti, & excelſo animo ferre debeamus, ut ea tandem aſſequi poſſimus. Beati, inquit, ueritas ipſa CRISTVS IESVS, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. Si in terris, exiguæ alicuius portiunculæ reges eſſe magnifacimus, cùm tota tamen terra cum cœlo comparata uix puncti magnitudinem habeat, quanti, quæſo, faciendum in ampliſſimo illo cœlorum ſpatio,* CHRISTI *gloriæ cohæredes eſſe, cum Deo eſſe, Deum facie ad faciem uidere, cum Chriſto denique, quod ipſe nobis pollicetur, regnare? Quæ cùm ita ſint, uiri Aurelij, & longè honeſtiſſimam, & utiliſſimam eſſe patientiam intelligamus, & quibus*

ea

ea rationibus parari poßit, perſpiciamus. Agite, per IESVM CHRISTVM *dominum noſtrum uos obteſtor, legitimè certemus, & ita certemus, ut pulcherrimum omnium brauium corripiamus.*

FINIS.

GENTIANI HERVETI ORATIO: DE VITANDO OTIO.

*

CV̀M præter opinionem mihi accidiſſet, ſtudioſi Aud. ut, quod publicè profitendi munus Antonius noſter Brugnarius mihi ad aliquot dies mãdauerat, id peractis uindemiarum ferijs, rurſus ad tempus ſuſciperem, nihil æquè mihi animum addidit, & ad non detrectandam hanc prouinciam commouit, ac priſtinæ ueſtræ in me beneuolentiæ, & erectæ in me audiendo attentionis iucunda recordatio. Quam quidem ſi mihi, ut antea feciſtis, & deinceps facturos ſpero, intereà præſtiteritis, dum Brugnarius prælector ueſter ſe parumper reficit, & quas diuturno morbo profligatas cum corpore uires amiſerat, colligit, ſpero fore, ut noſtrã in prælegendo operã, & quam hucuſq; ſatis probare uiſi eſtis, diligentiam minimè requiratis. Quæ quidem eò maior à me adhibeatur neceſſe eſt, quò uos erectiores, & ad me audiendum alacriores uidero. Natura enim ferè ita comparatum eſt, ut & prælectoris cura, & auditorum diligentia mutuo quodam nexu pendeant, & amicè quodammodo coniurent. De uobis autem ut optimè ſperem,

facit & frequẽs ueſter cõuẽtus, et iucũdiſſimus cõſpectus, & alacerrimus, quẽ præ uobis fertis, animus. Quod uerò in mea poteſtate ſitũ eſt, ſi non abundè præſtitero, à uobis tam humanè inuitatus, meritò, et iure optimo uidebor repræhẽdendus. Agite itaq;, uos obteſtor, ſtud. Aud. æquis ſimul paſſibus ambulemus: otiũ repellamus: ignauiã abijciamus: pigritiæ ueternũ excutiamus: ad pulcherrimarũ, quæ literis mandantur, rerum intelligentiam nos uiciſſim excitemus. Et ut, quod magnis, et fortibus animis aggredimur, acrius, & uehemẽtius perſequi poſſimus, id quod eſt longè ueriſſimũ, animis noſtris proponamus, otium cũ ab omni homine, tũ ab eo, qui rectè eſt inſtitutus, alieniſſimũ: idq; cũ omni ætati, tũ maximè adoleſcẽtiæ longè pniciosiſſimum. Porrò diligentiã eam eſſe, quæ & naturæ hominis maximè cõueniat, et quæcũq; ſibi propoſuerit, quantũuis magna, aſpera, inuia, inacceſſa, ardua, & difficilia, ſuperet, molliat, penetret, peruadat, & expugnet. Ac primũ, perpetuus ille motus animis noſtris à Deo Opt. Max. tributus, quid aliud ſignificat, quàm, ſi naturã noſtrã, ueluti ducẽ, ſequi uelimus, eſſe nobis perpetuò cogitandũ, meditandũ, & nobiliſſimã illam hominis partẽ, quæ & ſola à Socrate homo creditur, animã ſcilicet noſtrã aſſidua agitatione exercendã? Pulcherrimè ſapientiſſimus ille Solomon, ut equũ ad curſum, auẽ ad uolandũ, piſcem ad natandum, ita hominẽ ad laborem ſuſcipiendũ, literis mãdauit. Sed cùm duplex ſit hominũ genus, quorum alterũ terrenis quidẽ rebus eſt penitus addictum: alterũ, quod diuinæ ſuæ originis memor, ab humilibus, & craſſis cogitationibus animum abducit, & ad ea, quæ naturæ ſuæ ſunt con-

uenientiora, erigit: hinc fit, ut duplex labor oriatur: quorum alter, qui ſeruilis iure dici poteſt, in ſordidis, et illiberalibus quibuſdã artibus uerſatur. Alter uerò, quẽ ingenuũ meritò appellauerim, in liberales diſciplinas, & pulcherrimas honeſtißimarũ rerũ ſcientias cõfertur. In eorũ alterutro uitã ſuam tranſigat oportet, qui ſe & hominem natũ meminerit, & à ferina uita ad mãſuetiorẽ traducere uoluerit. Qui enim ita ſe cõparat, ut ad ſe ijs tãtùm, quæ ex cibis, et potionibus, et rebus capiũtur uenereis, uoluptatibus explendũ omnem operã ponat, is mihi quidem omnẽ hominẽ exuiſſe, et in efferatißimã beluam degeneraſſe uidetur. Eſt aũt operæpretiũ uidere, quid ijs uſuueniat, qui à natura duce deficiũt: molle aũt, delicatũ, et eneruatũ uitæ genus ſequũtur: quos elegantißimè depingit Horatius:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes, *nebulones,* Alcinoiq́;,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum cytharæ ceſſatum ducere curam.

Sed quid ijs tandẽ, qui ita ſe comparãt, accidit? Nempe ut, cũ hoc ſit eis unum inſtitutũ, hæc una uitæ ratio propoſita, ut laborẽ fugiant, otio ſe dedant, uoluptatẽ ſequantur, tantùm abeſſe, ut id, quod maximè cupiunt, aſſequantur, ut in maximas curas, ærũnas, calamitates, ſolicitudines uel inuiti incurrant. Quid hic enumerem, quot, & quantos labores ſuſcipiant, quanta pericula adeant, quantis ſe caſibus obijciant, qui molle iſtud, & delicatum uitiorum iter ingrediuntur, et ſpecie quidem blandas, ſed quibuſuis tyranis immaniores dominas uoluptates ſequũtur?

Dies me profectò deficeret: & nemo eſt ueſtrum, qui non plura, quàm à me dici poßint, tacitus apud ſe cogitet. Iure itaque, qui deſide iſta, & laborum fugitantiore uia progrediuntur, ſe in uia iniquitatis laſſatos eſſe, in diuinis literis exclamare coguntur. Quid eſt enim, quod hominem magis angat, maiori dolore afficiat, acrioribus pœnitētiæ ſtimulis confodiat, quàm ſi ſe in rebus friuolis, leuibus, ineptis, addo etiam turpißimis ſe plurimum tēporis conſumpſiſſe intelligat, ſe nullum tamen ex eis fructum retuliſſe uideat? Elegantißimè philoſophus apud Gellium Muſonius his Græcè uerbis ſcribit. ἂν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει, ἂν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μεθ' ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δ' αἰσχρὸν μένει. *Cuius hic ſenſus eſt: ſi cum labore honeſti quid egeris, honeſtum manet, labor recedit. Si cum uoluptate turpe quid feceritis, quod dulce eſt, abit: quod turpe eſt, manet. Quòd ſi quis ſit, qui, ſpretis uoluptatibus, otium tantùm ſequatur, cuiuſmodi uix uullum reperias, ſed fingamus reperiri, quid homine, quæſo, indignius, quàm ita uitam inſtituere, ut ſtipes, caudex, truncus, & inutile potius lignum, quàm homo poßis uideri? Cuiuſmodi, quæſo, fuit Domitianus, de quo interrogatus, qui ex intimis eius erat purpuratis, quis cum eo eſſet: Ne muſca quidem reſpondit? cùm eò uſq; otio abundaret uigilans alioqui Imperator, ut in maximis Reipubl. calamitatibus, muſcas ſtylis acutis, perinde ac hoſtes, confoderet. Apud Gellium uenuſtißimè uetuſtißimus ſcribit Ennius. Otio qui neſcit uti, plus negotij habet, quàm cùm eſt negotium in negotio. Is autē otio*

demum

demum optimè uti credendus eſt, qui, ut de Scipione ſcriptum reliquit Cicero, nunquàm eſt minus ſolus, quàm cùm ſolus, nec minus ocioſus, quàm cùm ocioſus. Qui autem ita uitam ſuam inſtituit, ut otio uel ad conſectādas omnis generis uoluptates, uel ad ignauam, & inutilem ſilentio uitam tranſigendam abutatur, is, nec quanta ſit hominis dignitas: nec, quid excellentiſſimæ eius naturæ conueniat, cogitat, & ſe, quoad eius fieri poteſt, non inuitus in beluā transformat. Quo, per CHRISTVM *Dominum noſtrum uos obteſtor, ſtud. Aud. quid turpius, quid indignius, quid magis execrandum, & diris omnibus, & malis ominibus proſequendum? Tu, cùm Deus Opt. Max. te ad ſui ſimilitudinem creauerit, tibi uni excellentiſſimam illam ratiocinandi poteſtatem, quam à cæteris animantibus differs, indiderit, locupletiſſimum memoriæ theſaurū conceſſerit, liberam, qua te ad optima conuertas, inſtituendæ uitæ uoluntatem permiſerit, membra omnium pulcherrima, & excellentiæ tuæ conuenientiſſima dederit, ea inſtrumenta præbuerit, quæ qui organorum organa appellauit, is ueriſſimè, & appoſitiſſimè eorum uim ſignificaſſe uiſus ſit, tu te ita contemnas, tam paruipendas, adeò te abijcias, ut inter te, ut uiliſſimam quàmuis pecudem, uix quicquam interſit? Feruntur in non multùm remotis ab hac urbe locis uerſipelles quidā ſe in lupos ſoliti mutare: quod & ſi Plinio incredibile uiſum ſit, non multis tamen abhinc annis re intellectum eſt ueriſſimum eſſe. Sed non monſtri, quæſo, ſimilius eſt, exteriora quidem omnia hominis ſpeciem præbere: interna autem omnia à beſtia nihil diſſidere; & hominis pelle tectam beluam, per urbes,*

agros, regiones, & domos incedere? Atqui eiuſmodi homines nihil à beſtijs differre uel cæcus uidit Homerus, cũ à Circe carminibus, & uenenatis quibuſdã potionibus, Vlyſſis ſocios in feras mutatos, Vlyſſem ſolũ, maximũ illud periculum, ſua prudentia euaſiſſe deſcribit. Quod pulchrè intellexit Horatius, dum in epiſtola ad Lollium ſcribit:

Sirenum uoces, & Circes pocula noſti:
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupidusq́; bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & excors,
Vixiſſet canis immundus, uel amica luto Sus.

Quàm turpe, quàm indecorũ, quã inhoneſtum, quàm homine indignũ ſit, ignauã, et ocioſam uitam agere, ſatis, ut opinior, uidetis, ſtudioſi Aud. id autem cùm in omni ætate eſt turpiſſimũ, hac quidem certè, qua nunc ſumus, non ſolũ indecorum, ſed & longè pernicioſiſſimum. Infantes quidem, & pueros meritò fortaſſis excuſet infirmitas: ſenio autem iam affectos, à labore iure uendicet ingraueſcens ætas: nos autem cùm ea ætate ſimus, quæ uiriditatem quãdam oſtentet, cùm robuſtum corpus, ualida membra, integri ſenſus, ad laborũ perpeſſionem nos inuitent, quid tandem cauſæ afferri poteſt, cur non, quæ præclara, & honeſta uidebuntur, magnis, et fortibus animis aggrediamur? Eleganter profectò Græco carmine ſcriptum eſt: ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. *quo ſignificatur, iuuenibus quidem opera, mediæ autẽ ætatis hominibus conſilia, ſenibus preces conuenire. Iuuenes autem, quæ libero homine digna uidentur opera, eò magis aggredi decet, quòd nõ alia ratione, omni uitiorũ generi iter commodius intercludatur, cùm per otium, & ſocor-*

diam,

diam,ad turpiſsima quæuis flagitia, latiſsima pateat fe-neſtra. Quod pulchrè intellexit Ouidius,cùm ſcribit.

Otia ſi tollas,periere cupidinis arcus,
Extinctæq; iacent,& ſine luce faces.

Quòd ſi otium,& luxum non ſinguli ſolùm ciues, ſed uniuerſa fortè ſimul ciuitas ſequatur, magnopere timen-dum erit,ne, non diu expectata,ei pernicies inſignis affe-ratur. Otiũ enim ut ſcitiſsimè inquit Catullus,ſæpius bea-tas perdidit urbes. Sed quid ad otium fugiendum, diligẽ-tiam autem amplexãdam nos magis excitare debet,quàm, ſi cogitemus non aliam rationem ad uirtutes, & ſcientias omnes aſſequendas, ad omnem denique laudem, & glo-riam cõparandam,à nobis iniri poſſe? Quod quidem uo-bis planum facere conarer, niſi plurimum iam temporis effluxiſſe ſentirem, & ad hoc uobis perſuadendum lon-giori non eſſe opus oratione uiderem. Satis ſit in præſen tiarum,quod à Vergilio ueriſsimè ſcriptum eſt, nos ſem-per in promptu habere: Labor omnia uincit improbus: Et diuiniſsimè Sophoclis ſententiæ meminiſſe.

οὔ τι ποθ᾽ ἥξει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου.
Μοχθεῖν ἀναγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.
ἅπαντα τὰ καλὰ τοῦ πονοῦντος γίνεται.
ἅπανθ᾽ ὃ τοῦ ζητοῦντος εὑρίσκει πόθος.

Quorum hæc eſt, ſi rectè interpreter, ſententia.

Abſque labore ſummum quid haud uenerit.
Beatus eſſe,qui uult,laboret decet.
Præclara quæuis laboranti adueniunt:
Quærentis inuenit cuncta deſyderium.

Quæ cùm ita ſint, uos obſecro, obteſtorq́;, ſtudioſi Aud. ut otium à naturam hominis alieniſsimum, & huic ætati pernicioſiſsimum fugiamus: diligentiam, qua uel maxima, & difficillima acquiruntur, arctiſsimè complectatur: intermiſſa his uindemijs ſtudia, ita acriter repetamus, ut animos tantùm pauliſper remiſiſse, & ſuſtinendo mox fortius labori uires reparaſſe uideamur.

*

GENTIANI HERVETI, DE GRATI ANIMI VIRTUTE, ORATIO.

*

SI MIHI *unquam uel ſortè obiectum,uel conſilio ſuſceptum fuit argumentum, in quo pro dignitate tractando,me tantum dicẽdo ualere poſſe optarem,quantum & ad ea, quæ animo comprœhenſa,& complicata teneo,rectè explicanda, & ad eum,quem uellem affectum,auditores meos permouendos ſatis eſſet,hoc certè tempore id eò uehemẽtius cupio, quò mihi magis eſt pertimeſcendum, ne,dum pulcherrimam grati animi uirtutẽ,quàm poſſum maximis laudibus efferre,& ad eam perſequendam uos inflammare cupio, mea interim ingrata euadat oratio. Quod tamẽ me facilè effugere poſſe ſperarem, ſi,ut eſt pulcherrimum, quod apud uos tractandum ſuſcepi argumentum,ita ab ijs,qui ante noſtra tempora ſcripſerunt,uiris doctis eſſet paulò diligentius elaboratum. Ita enim fieret,ut,cùm in ijs,quæ ab alijs tradita eſſent,colligẽdis,aliquid operæ poſuiſſem, ea uobis ſi non diſtinctè,ornatè,grauiter,& copioſè, ſed apertè quidem certè,& dilucidè exponere me poſſe ſpe-*

rarem. Sed profectò res ita ſe habet, quòd parum, aut nihil ab alijs literis mandatum eſt, quod ad hanc materiam pertineret, & mearum conſcius uirium nihil me eiuſmodi afferre poſſe auſim polliceri, quod exactiſſimo ueſtro iudicio, & delicatiſſimis auribus ſatis eſſe poſſit. Sed me ſubdubitantem, & pedem propemodum referre parantem reuocat ueſtra inſignis humanitas: quæ ſatis intelligit, ut is gratus iure exiſtimatur, qui cùm maximum beneficium acceperit, ſi referre gratiam non poteſt, quam tamen poteſt, & habet, & agit: ita & eius, qui ſi non, quod magnopere uellet, ſed quod tamen poteſt, in medium affert, non modò non repræhendendum, ſed etiam laudandum eſſe conatum. Quo fit, ut ſperem, non ſolùm id, quod à nobis hodierno die proficiſcetur, à uobis nõ eſſe importunè explodendum, ſed gratis etiam animis excipiendum. Quod ſi mihi non denegaueritis, & uos in me audiendo attentos præbueritis, bona ſpe ducor fore, ut cùm eo nomine ego me uobis multùm debere lubens agnouero: uos quoque ex hoc meo labore beneficij nonnihil accepiſſe ſentiatis. Ac primùm, ut eam, de qua agitur, uirtutem rectè intelligamus, & ne à propoſito nobis argumento longius aberremus, grati animi uirtutem eſſe ſtatuamus, perpetuam acceptorum beneficiorũ recordationem, quæ uel ad remunerandum, uel ad officio noſtro ſaltem fungendum, nos aſſiduè inuitet. Quod huic autẽ opponitur uitiũ, à Græcis quidẽ ἀχαριστία, à Latinis ingrati animi crimẽ nominatur. Huius autem uirtutis quanta ſit laus, quanta dignitas, quãta uis, et quàm admirabilis præſtantia, nemo eſt, qui M. Tullio Cicerone melius, & expreſſius

preſſius

preſſius ſignificauerit. Is enim in oratione pro Plancio, eam non ſolum maximam uirtutem, ſed & omnium uirtutum matrem appellauit. Contrarij autem uitij indignitatem, turpitudinem, & infamiam non potuit ſignificantius aperire, quàm cùm ingratis omnia dixit uitia ineſſe. Non me fugit nobiliſſimos philoſophos in hac eſſe opinione, ut exiſtiment, eam eſſe inter ſe uirtutum omnium cõiunctionem, eum cõſenſum, eam, ut Græcè expreſſius dicam, συμπάθειαν, ut una ab altera nõ poſſit ſeiungi, nec unã quem uerè poſſe aſſequi, qui non eadem opera reliquas quoq; ei adiunxerit. Hæc autem diſputatio cũ & paulò prolixior, & ab inſtituto noſtro remotior uideri poſſit, in aliud tempus reijciatur. Quod autem ad rem noſtram magnopere facit, & cum Ciceronis noſtri ſententia optimè conuenit, auſim contendere, ſine grati animi uirtute nullam poſſe uirtutẽ penitus ſubſiſtere. Quò mihi magis admirandum uidetur, eos, qui de moribus, & officijs ſcripſerunt, cũ reliquas uirtutes copioſiſſimè, & ſubtiliſſimè tractarint, de hac, quæ eſt omniũ uirtutum maxima, & ex qua, ueluti ex perenni fonte, cæteræ promanãt, uix leuiter attigiſſe. Qui cùm, quid Deo Opt. Max. quid patriæ, quid parentibus, quid amicis debeatur, literis mandatum reliquere, gratæ quidem uoluntatis, quæ nos ad ea omnia exoluẽda incitat, debebant profectò meminiſſe. Ac omnium quidem uirtutũ prima nobis hîc occurrit ſapientia, quæ inter cæteras uirtutes iure principatum obtinet, cùm diuinus ille Plato reliquas omnes uirtutes μικρὰς φρονήσεις: id eſt, paruas prudentias appellet. Et profectò, quod ſcribit Horatius: ſcribendi rectè ſapere eſt, & principium, & fons,

id non ſolùm ad ſcriptionem, ſed etiam ad humanam omnem actionem pertinet. Nihil enim pulchrè, nihil rectè, nihil cum laude, & uirtute geri poteſt, quod non & ſapienter cogitatũ, & ex rectis prius opinionibus hauſtum ſit. Ea autem eſt ſapientia, quæ nos docet, quid expetendum, quid fugiendum, quid faciendum, quid cauendum, quid ſequendum, quid declinandum nobis ſit. Quæ ſi nobis cognitio defuerit, & non, ueluti accenſa ſapiẽtiæ face, & depulſa errorum caligine, illuſtratus nobis animus fuerit, fiet, ut nec iuſti, nec fortes, nec moderati eſſe poßimus. Sed unde tandem hæc nobilißima humanarum actionum Domina à nobis petetur? Dubitarunt olim philoſophi, natura'ne, an educatione, an diuino ſpiritu afflati ſapiẽtes homines exiſterent. Sed hunc nobis ſcrupulum pulcherrimè eximit, omnium, qui unquam fuerunt, hominum ſapientißimus Solomon: qui à Deo hominibus quidem dari ſapientiam aſſerit, ſed non pigris, non ſomnolentis, non oſcitantibus, ſed eam ardenter perſequentibus, & à Deo uehementer contendentibus. Si ſapientiam, inquit, inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, & ſcientiam Dei inuenies: quia Dominus dat ſapientiam: & ex ore eius prudentia, & ſcientia. Diuus quoque Iacobus: ſi quis, inquit, ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & nihil improperat, &c. Atqui ille ipſe Solomon, eum demum pulcherrimo ſapiẽtiæ dono à Deo Opt. Max. affici ſcribit, qui beneficium agnoſcit, qui eam grato, & memori animo excipit, qui non maleuolo animo

dißimulat,

diſsimulat, & fingit: ſic enim ſcribit. In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Quòd ſi quis ſit, qui dicat Solomonem non magis de ingratis, quàm de alijs quoque ſceleſtis, & omni uitiorum genere obrutis ſentire, hoc quidem certè inficias non ibit, maleuolæ animæ, & ficti uocabulum, nulli quàm ingrato melius conuenire. Quæ eſt enim anima magis maleuola, quàm eius, qui non ſolùm beneficium non agnoſcit, ſed etiam autorem, ſi poteſt, lædit? Quis porrò magis fictus, quàm qui, quam alteri gratiam debet, non modò non reddit, ſed etiam diſsimulat, & tegit? Iam uerò clariſsima illa, & rebus humanis maximè neceſſaria, quæ in ſuũ ius cuique tribuendo uerſatur iuſtitia, an non tota ferè à grata in Deum, patriam, parentes, cognatos, affines, amicos uoluntate proficiſcitur? Quis eſt, qui admirabilem hanc mundi machinam ſuſpiciens, pulcherrima illa duo luminaria, quorum alterũ nocti, alterum diei præeſt, intuens, cœlum tam uarijs ſyderum luminibus, quæ ſtatis temporibus oriuntur, et occidunt, diſtinctum contẽplans, temporum uiciſsitudines conſyderans, in tam uaſta mole, tam inſignem ornatum, & tam certum ordinem apud ſe reputans, primam illam rerum omnium cauſam, omnis ſubſtantiæ patrem, omnis bonitatis fontem non ſtatim admiretur, adoret, colat, & quòd ſit, quòd uiuat, quòd uitalem hanc auram carpat, non, quas poteſt, gratias agat? Quàm ingratæ autem fuerunt priſcæ illæ gentes, quæ cùm hunc rerum uiſibilium ornatum uiderent, ſummum illum

autorem

autorem nō agnouerunt, ſed elemētis, dæmonibus, ijs, quos mortuos ſciebant, hominibus, & turpiſsimis etiam animalibus, qui Deo Opt. Max. debebatur, honorē tribuebant? Quantò autem ingratiores Iudæi, qui cùm à Deo, in tāta gentium caligine, in peculiarem illi populum ſelecti, tantis ab eo beneficijs affecti, toties blandè inuitati, toties amicè admoniti, toties acriter caſtigati eſſent, omnium eorum immemores, ad uetitos gentium ritus, & execrandam idololatriam ſe conuerterunt, prophetas ſuos occiderunt, omni uitiorum genere ſe contaminarunt, &, ut ſuo ſceleri ſummum ueluti colophonem imponerent, cum nouiſsimis temporibus, qui eorum lege prænunciatus, à prophetis prædictus fuerat Chriſtus Ieſus Dei filius, & uera patris effigies, ad eos humana carne tectus ueniſſet, ut eos à uitiorum, & cacodæmonis ſeruitute eriperet, & priſtinæ uirtuti, & hæreditati reſtitueret, non modò gratis animis eum non acceperunt: ſed, quò nihil efferatius, nihil crudelius, nihil immanius dici, aut fingi poteſt, per ſummam ignominiam, uarios, & acerbiſsimos cruciatus, turpiſsima, & indigniſsima morte, morte, inquam, crucis eum affecerūt? Quam etſi noſtra omnium cauſa non ſolùm æquo animo, ſed etiam ſponte, & lubenter ſubijt, non poſſunt tamen propterea Iudæi tanto crimine polluti, ſe à fœdiſsimo ingrati animi crimine liberare. Iam uerò & in Deum ingrati ij fuere philoſophi, qui, dum Deum rerum humanarum curam negant agere, & è mundo diuinam prouidentiam conantur tollere, omnia fortunæ ſubijcere, & temerariam, neſcio quam, inſectilium corpuſculorum congreſsionem coguntur inducere. Quæ adeò eſt inepta, & ab omni

ab omni ueritate aliena, ut delyrantium potius ſomnium, quàm probabile philoſophantium inuentum uideatur. Quid enim ſtultius, quid non modò homine, ſed uel pecude indignius, quàm in certiſsima omnium naturalium rerũ ratione, & quæ nunquàm, aut certè rariſsimè aliter euenit, obſeruatione, cauſam omnem remouere, & rerum omnium autorem, & principem caſum conſtituere? Nos uerò & rectè ſentientium philoſophorum ſententiã tueamur, & quod nos docuit princeps noſter Chriſtus Ieſus, fixum, & immotum teneamus, non ſolùm hanc pulcherrimam totius orbis machinam à Deo fabricatã, eiuſdem conſilio, & prouidentia adminiſtrari, ſed & ſingularum, quæ ad nos pertinent, rerum etiam minimarum curã geri. Quid uilius, quid abiectius, quid contemptius, quàm capillus capitis noſtri? Atqui audi ſeruatorem dicentem: Omnes capilli capitis ueſtri ſunt numerati. Quòd ſiquid aliquando nobis ueniat in mentem, quod nos ab hac uerisſima ſententia uideatur poſſe abducere, quòd nec eorum, quæ hic gerantur, cauſam mente poſsimus aſſequi, et nonnulla ita euenire uideamus, ut caſu potius aliquo, quàm diuina ulla prouidentia putemus contigiſſe, nos cum Paulo inſcientiæ arguamus, & incompræhenſibile domini conſilium ueneremur. Qui cùm ad Romanos ſcribens, quàmuis diuino ſpiritu afflatus, cauſas rerum non intelligeret, exclamare cogitur. O altitudo ſapientiæ! &c. Porrò in eorum, qui ingrati in Deum animi uitio laborant, catalogum illi mihi uel imprimis redigendi uidentur, qui ob nobilitatẽ, potẽtiam, opes, facultates, copias, clientelas, uires corporis, ſcientiam deniq;, & eruditionem ita gloriãtur,

ut, qui

ut, qui ijs rebus ſunt inferiores, ne homines quidem exiſtiment: & tantùm abeſt, ut bonorum omnium autori, quas deberent gratias, agant, ut, quæ eis ad aliorum ſalutem, et præſidium data ſunt, illa ad eorum perniciem conuertant. Qui, ſi propter ingeneratam animo ſuperbiã cæteros nõ audiunt, Paulum ſaltem audiãt dicẽtem: quid habes, quod non accepiſti? Quòd ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi nõ acceperis? Sed neq; ab ingrati animi crimine eos poſſum uendicare, qui, ſi quid eis aduerſi contigerit, adeò iniquo animo id ferunt, ut ſæpe etiam in Deum omnium bonorum fontem conuitia iaciant, & petulantiſſimis probris, et ma ledictis laceſſant: qui profectò deberent uel cum omnium, qui unquam fuerunt, patientiſſimo Iob bona cum malis compenſare: &, ſi de manu domini, exporrecta fronte, bona ſuſceperint, mala quoque æquo animo accipere: uel cum Solomone conſyderare, uirtutem, quæ rebus ſecundis ſæpe eneruatur, rebus aſperis exerceri, & augeri: neque aliud eſſe certius indicium, quo quis ſe à domino non eſſe relictum, & tanquam pro deplorato habitum cognoſcat, quàm ſi ærumnas multas, et calamitates ſubeat: cùm, quem diligit dominus, caſtiget, et quaſi in filio ſibi bene compla ceat. Sed quàm, quæſo, in Deum ingrati olim Pelagiani fuere, qui tantum ſibi arrogare auſi ſunt, ut ſuis operibus, & meritis, etiam ſine gratiæ diuinæ præſidio, cœlum ſibi crederent patêre? Quo nihil magis impium, nihil in Chri ſtum Seruatorem magis ingratum poteſt excogitari? Cùm enim Chriſtus peccata noſtra portarit, & nos à uitiorum ſeruitute ſuo ſanguine liberauerit, æquũ eſt profectò, nos illi, & noſtræ in eum fidei ſalutem noſtram acceptam fer re:

re:neque tantum nobis arrogare,ut ſufficientiam ullam in nobis, tanquam ex nobis, putemus ineſſe. Sed non minus profectò ingrati,qui fidei,& gratiæ nomen ita uſurpant, ut & benefaciendi poteſtatem, & omnem liberi arbitrij facultatem à Deo nobis conceſſam adimant,et nos ineuitabili cuidam neceßitati ſubijciant. Quod cùm faciunt,nõ intelligunt ſe Deum iniuſtitiæ turpiter condemnare, qui ea nobis præcepta dederit, quæ in noſtra poteſtate non ſit ſitum implere: nec ſatis animaduertunt nõ ideo minorem eſſe liberi arbitrij poteſtatem, quòd ſe ei diuina gratia adiungat, et ad ea,quæ Deus præcipit,perficienda nobis auxilium ferat.Sed & ſubtilior, et prolixior huius rei eſt diſputatio, quàm ut hac noſtra poßit oratiuncula obiter contineri:ad alia itaq; pergamus. Quàm, per Deum uos obteſtor,in Chriſtum his temporibus ingrati ſunt,qui purißimos ſacræ ſcripturæ fontes Philiſtæorũ more obſtruunt,uel ex lympidißimo, & nitidißimo alueo ad turbidas ſui ſenſus lacunas detrahunt,& non ſolùm ea,quæ à maioribus noſtris uel ſcripta,uel per manus nobis ſunt tradita, labefactare,& conuellere conantur: ſed & ſacroſanctum illud Chriſti in cœna myſterium, à Chriſto ipſo nobis traditum,propter conceptum in ſacerdotes, uel in Chriſtum potius ipſum odiũ conſpurcant,polluunt,contaminant,atque adeò ſigni ab eis excogitati prætextu penitus negant? Cùm autem in Deum Opt. Max. ij omnes ingrati iure cenſendi ſunt, qui non ex toto corde, & tota anima eum diligunt,non purè,& ſyncerè colunt, non denique ita ſe gerunt, ut,quam Dei cognitionem uerbis, & uoce præ ſe ferunt,eã factis quoq;,et operibus exerceant,

nulli certè, meo quidem iudicio, ſunt ingratiores, quàm, qui cùm ſunt diuinis myſterijs dedicati, & Dei ſolùm cultui mancipati, quos ita uitam inſtituere oportet, ut quod eos uocat CHRISTVS, lux mundi, & ſal terræ iure poßint appellari, ita ſe gerunt, ut non modò à uulgo recta uitæ inſtitutione non differant, ſed improbis etiam factis, & turpißimo exemplo ad uitia prouocent. Atque utinam nulli hodie tales ſint: ſed ſi qui ſunt, ij profectò præter cæteros in Deum ingrati iure ſunt exiſtimandi: qui cùm ad ſacroſanctum CHRISTI miniſterium ſunt allecti, uitæ ſuæ fœditate efficiunt, ut, quod eſt omniũ excellentißimum, id hodie multis ſordidum, uile, & abiectum, plurimis inuiſum, & exoſum reddatur. Atque hæc quidem, quæ diximus, omnia ideo uſuueniunt, quòd grata, & acceptorum à Deo beneficiorum memor non adſit eis uoluntas. Quid uerò in patriam pietas? an ſine grata in eam animi uoluntate à nobis exerceri poteſt? Cuius amor & ſi nobis à natura ſit inſitus, & ingeneratus, quid tamen pro ea ſit faciendum, quid laboris, & periculi adeundum, quod noſtrum in eam oporteat eſſe officium, tum demum rectè ſtatuemus, cùm, quantum ei debeamus, & quid ei acceptum feramus, nobis uenerit in mentem. Cui quidem hac ratione pulchrè ſatis faciemus, ſi ſedulò unus quiſque laboret, & pro uirili contendat, ut, quod ei munus impoſitum eſt, id diligentißimè obeat, et in ea, in qua uocatus eſt, ut Pauli uerbis utar, uocatione, ita permaneat, ut in ea rectè, & ſyncerè ambulet. Cùm enim natura ita comparatum ſit, ut inter omnes homines ſit ueluti quædam cognatio, quam qui temere

mere uiolat, ferus, & inhumanus iure cenſetur, eos quidem, quos idem regionis, linguæ, religionis, legum, morum, ſacrorum firmiſſimū uinculum, & ſacroſancta quædam iungit ſocietas, enixè ſtudere oportet, ut pro ſe unus quiſque conferat, quod Reipubl. *& toti patriæ proſit: & cuiuſmodicunque cuilibet munus obtigerit, eo ita perfungatur, ut nec ſibi, nec arti ſuæ ullum dedecus afferat, & quod poteſt, in commune impertiat. Nec uerò quiſquam exiſtimet ullam eſſe artem tam abiectam, ullū munus tam uile, ullum miniſterium tam ſordidum, quod ſi rectè geratur, non poſſi toti* Reip. *prodeſſe. Nemo itaq;, quod uel cōſilio ſuſcepit, uel ei fortè obtigit, munus nimiùm eleuet: ſed, quod in* Græcorum *eſt prouerbio, id apud ſe cogitet.* σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. *Spartam nactus es, hanc orna. Quòd ſi omnibus eſt hoc hominibus aſſiduè cogitandum, nullis quidem magis, quàm ijs, quos totius* Chriſtianæ Reip. *gubernacula ſuſcipere, & clauum manibus tenere* Deus *uoluit. Qui profectò in patriam, atque adeò in* Deum *ipſum, qui eā eis poteſtatē tribuit, ingrati cenſendi ſunt, ſi, cùm ab eis omniū ſalus uel in primis pendeat, eius uel nullam curam gerāt, uel de ea perfunctoriè, atq; obiter tantùm cogitent. Non eſt huius loci, & temporis, quod ſit uniuſcuiuſq; officium, deſcribere: nec meum eſt, an ulli ſuum munus bene, uel malè adminiſtrent, inquirere: hoc tantùm dicam, quod meū ſuo iure argumentum exigit:* Niſi Pontifices, *qui* CHRISTI Opt. Max. *in terra uicē gerunt, pro uiribus ſtudeāt, ut, quoad eius fieri poteſt, eum in uita ſua inſtituenda ſibi imitandum proponant, & quæ eis iuſtiſſimis de cauſis cōceſſæ ſunt opes,*

*ad pios, & uerè Chriſtianos uſus conuertant, & qui re-
rum ſacrarum, pro ſanctiſsimi muneris dignitate, curam
gerant, præficiant, niſi epiſcopi, & ſacerdotes tales ſint,
quales à* Diuo Paulo *deſcribuntur, & ſacris canonibus
creari iubentur, niſi reges creditum ſibi munus ita admi-
niſtrent, ut non minorem populi, quàm filiorum patres cu
ram gerant, & hoc perficiant, ut* ποιμένες λαῶν : *id
eſt, populorum, ut eos uocat* Homerus, *paſtores potius,
quàm, quod* Heſiodus, δημοβόροι βασιλεῖς *populiuo-
ri reges, iure ſint appellandi. eos, inquam, omnes non ue-
rebor dicere, cùm ut præclariſsimo, ita et difficilimo mu-
nere non rectè fungantur, ingrati in patriam animi cri-
men non poſſe effugere.* Neque *uerò minus in patriam
ingratus dicendus eſt is populus, qui tumultus, & ſedi-
tiones ciet, reges, magiſtratus, & poteſtatem omnem con
temnit, & quæ præclarè à maioribus, imò, quæ à* Deo
*ipſo nobis tradita ſunt, conuellit: qui, dum effrenatam
carnis libertatem quærit, in miſerabilem uitiorum ſerui-
tutem, & in confuſiſsimam, qua nullum grauius, nullum
magis timendum eſt malum,* ἀναρχίαν, *uel in deplo-
randam ſaltem tyrannidem, inuitus incurrit.* Quòd *ſi po-
pulus, qui cùm ſit ſuapte natura tranquillus, pernicioſis
improborum orationibus, non ſecus, ac unda uentorum
flatibus, exagitatus, ingratus eſt cenſendus, quid de ijs
dicendum eſt, qui tantorum ſunt malorum autores, qui
nihil non agunt, nihil non moliuntur, nullum non lapidem
mouent, ut pernicioſiſsimæ ſectæ inducantur, & incon-
ſutilis domini tunica in plurimas partes diſcerpatur?
Quid, inquam, dicendum eſt, quàm, cùm in* Deum Opt.
Max.

Max. & in Chriſtianam Rempubl. quorum maieſtatem pro uiribus minuunt, ingratiſſimum ſuum animum apertiſſimè produnt, neque toties admoniti reſipiſcunt, aut medicinam admittunt, eos, tanquam immedicabilia Chriſtiani corporis membra, ne ſana quoque inficiant, eſſe reſecandos, & è fidelium, & uerè Chriſtianorum numero eſſe penitus tollendos? Satis uos uidere non dubito, Aud. Orn. neque in Deum, neque in patriam pium quenquam eſſe poſſe, qui grati animi uirtute præditus non fuerit. Age, quid pietatem in parentẽs? eam'ne ſine grata, propter accepta ab eis beneficia, uoluntate, putatis poſſe conſiſtere? Quibus, cùm acceptam hanc ſuauiſſimam lucem, uitæ noſtræ propagationem, & educationem, poſt primam rerum omnium cauſam, acceptam ferre debemus, eos meritò diuino decalogi præcepto honorare iubemur. Qui quidem honor eò uſque extenditur, ut non ſatis ſit uerbis, uultu, geſtu gratam animi uoluntatem ſignificare: ſed & quibuſcunque rebus poterimus, eorum rationibus conſulere, alimentis proſpicere, ne quid faciamus, quod eorum animos uel leuiter offendat, diligenter cauere. Atque hic quidem affectus omnibus eſt adeò à natura inſitus, ut uix inter bruta animalia ullum reperiatur, quod non partus, & educatio inuicem conciliet. Ciconia quidem, etiam affectis ætate parentibus, quem ab eis acceperat, uictum retribuit, ut non immeritò ἀντιπελαργεῖν, pro parentibus uicem rependere, uulgato apud Græcos prouerbio uſurpetur. Quo ſunt immaniores, et quibuſuis beluis efferatiores, qui, quæ parentibus debetur, pietatem ulla ratione uiolant. Quod quidem crimen ciuiles Roma-

norum leges adeò execrantur, ut qui in patrem ingratus fuerit, is demum à patre iure exhæredari poſſit. Omnes enim undecim illas cauſas, quæ à Iuſtiniano enumerantur, unum ingrati animi crimen facilè complectitur. Sed & ſiquis filius à patre, in cuius erat ciuili Romanorum iure poteſtate, emancipatus, ingratus depræhendatur, in eam, ex qua exierat, poteſtatem iure redire cogitur. Qui enim beneficio indignum ſe ſua culpa reddidit, eo uti priuetur, ſe certè dignum effecit. Quòd ſi quis omnem non dico humanitatem, ſed omnem penitus ſenſum ita exuerit, ita ab homine in teterrimum, & immaniſſimum mõſtrum degenerauerit, ut, quã ab eo lucem acceperat, eidem eripiat, & donatam donatori uitam adimat, cùm nullum in eum pro criminis atrocitate ſupplicium excogitarent, id certè ſtatuerunt, quo nullum grauius, nullum ad maleficij immanitatem exprimendam aptius, nullum ad à tanto ſcelere deterrendum accommodatius inueniri poteſt: ut uiuus ſcilicet parricida cum gallo, ſimia, & uipera in culeum inſueretur, & ita in flumen deijceretur. Eum enim, qui tam execrandum maleficium admiſerit, hac ratione indignum oſtendunt, qui ullis rebus, quibus humana uita conſiſtit, uel minimo temporis momento fruatur. Porrò, cùm in Deum, patriam, & parentes, quod maxima nos beneficia eis accepta ferre oporteat, grati eſſe debemus, præceptorum quidem in nobis inſtituendis diligentia proximum ſibi locum iure ſuo uendicat. Si enim uerum eſt, quod elegantiſſimè ſcribit Ariſtoteles, tantum differre doctum ab indocto, quantum uiuus à mortuo, ex hoc ſatis intelligi poteſt, quantum eis

debeamus, qui ſua opera perfecerunt, ne inter uiuos mortui oberraremus. Res *eſt profectò diuina, & admirabilis doctrina: quæ & in rebus ſecundis maximo eſt ornamento, & aduerſis ſolatio.* Meritò *itaque dicebat idem Ariſtoteles. Deo, parentibus, & magiſtris à nobis non poſſe gratiam referri. Ac fortè non immeritò dubitari poſſet, num tantumdem præceptori, qui nos docuit, ac parenti, qui genuit, gratiæ debeatur. Maius certè, & amplius beneficium præſtitit, qui, ut rectè uiuas, effecit, quàm qui ſolam tibi uitam conceßit. Non minus itaque ſunt impij, qui præceptores, quàm qui ſuos parentes offendunt. Nec magis crudelis eſt iudicandus* Nero, *quòd matrem ſuam interfecit, quàm quòd doctißimum* Senecam *præceptorem ſuum occidi mandauit. Cum quo utinam in reliquis iure poßim conferri: in hoc quidem, quòd ſuus in eum diſcipulus fuit ingratißimus, hoc tantùm inter nos intereſt, quòd ei quidem à ſuo diſcipulo per ſummum ſcelus uita ſit adempta: ex meis autem unus, quod uoluit quidem, non perfecit: ſed quod ad declarandam eius impietatem ſatis eſt, ut, quod crudelißimè cogitarat, perficeret, quicquid potuit, fecit.* Et *profectò, niſi me perpetuò ita geßiſſem, ut nulli non modò calumniæ, ſed ne leuißimæ quidem ſuſpitioni locum ullum reliquiſſem, & mea me conſtantißima uitæ innocentia texiſſet, quod cogitabat, effectum reddidiſſet, nec ulla meorum quantumuis magnorum in eum meritorum memoria aliquid apud eum ualuiſſet. Cùm itaque non tam exitus, quàm hominũ cõſilia in maleficijs ſpectentur, nõ minus certè in ſe ſceleris ſuſcepit, qui id efficere tentauit, & ſi nõ potuerit,*

cùm ſi ulla ratione potuiſſet, id effectum reddidiſſet. Sed ſentio, ſtud. Aud. dum eos, in quos grati animi officium præſtare debemus, ſingulatim perſequimur, nos paulò longius eſſe prouectos. Orationem itaque pauliſper contrahamus, et quod fuſius dicere poteramus, paucis ſic expediamus: cùm multi ſint officiorum gradus, quæ uarijs à nobis perſonis debentur, nulli nos poſſe penitus ſatisfacere, niſi grati prius animi officio fungamur. Atque in ijs quidem, qui nobis ſunt aut ſanguine, aut affinitate coniuncti, ſunt quædam ueluti neceſſaria uincula, quibus alter alteri tenetur: ea autem, quæ non ob neceſſarium aliquod propinquitatis uinculum, ſed ſpontanea quadam electione, quam amicitiam dicimus, inuicem charitas ſuſcipitur, niſi mutuo grati animi officio contineatur, facilimè diſſoluitur. Quæ quanquàm non alicuius futuri commodi ſpe à uiris bonis ineatur, omnis tamen perit amicitiæ fructus, qui eſt alioqui uberrimus, niſi mutuis inter ſe beneficijs certetur. Et profectò, qui beneficio affectus, non, cùm poteſt, gratiam reddit, non ſolùm non generoſus, quod ait Sophocles, ſed ne homo quidem, à quo nihil humani abeſſe oportet, meo iudicio exiſtimari debet. Natura enim ita comparatū eſt, quod iure etiam ciuili traditur, ut, qui ab altero beneficium accepit, ad ἀντίδωρον: id eſt, uicariam aliquam remunerationem obligetur. Ad quam perſequendam & ſi nulla ciuilis actio permittatur, uiro tamen bono, & ſapienti grauius reputatur, conſtanti, & perpetua naturæ ſententia ingrati animi crimine damnari, quàm hominis, qui uel falli, uel corrumpi poteſt, iudicis uoce notari. Atque ego quidem cum Cicerone exi-

ſtimo,

ſtimo, eum non ſolùm gratum eſſe debere, qui beneficium accepit, ſed eum etiam, cui poteſtas accipiendi fuit. Cùm autem duo ita ſunt inter ſe affecti amici, ut alter alteri, quoties opus eſt, auxilium ferat: ſi quid ei deſit, lubenter ſuppleat: ſi quid autem beneficij accepit, gratiam, cùm poteſt, referat: nullum certè prædium, nulla poſſeßio, nullus cum eo theſaurus iure poteſt conferri. Verißimè enim, & elegantißimè Sophocles.

ὅσις γὰρ ἓν δρᾶν ἓν παθὼν ἐπίσαται,
Παντὸς γένοιτ᾽ ἂν κτήματος κρείσσων φίλος: *id eſt,*
Quicunque amicus ſcit referre gratiam,
Præſtantior cunctis is eſt diuitijs.

Sed profectò uerum eſſe reipſa comperimus, quod ait Ariſtoteles, qui aliquando interrogatus, quid celerrimè conſeneſceret, gratiam reſpondit. Ita enim frequentißimè uſuuenire uidemus, ut cùm, quod nobis moleſtum ſit, nosq́; dolore afficiat, animo noſtro ſemper inſideat: beneficij quidem memoria, quæ immortalis eſſe debeat, leuißimè effluat. Quòd ſi indignißimum, & à natura alienißimum iure eſt exiſtimãdum, quod in te collatum eſt beneficium, non agnoſcere, quàm, quæſo, eſt execrandum, quàm omnibus diris, & malis ominibus proſequendum genus illud hominum, quod non modò, cùm poteſt, gratiam nõ refert, ſed ei etiam, cui plurimum debet, quantùm poteſt, incommodat, & ſæpe etiam exitiũ affert? In quos pluchrè conuenit, quod à Theocrito elegantißimè ſcriptum eſt.

Τρέφε καὶ λύκους κὲ λυκιδεῖς ὥστε ἔδοντι.

Quod Latinè ita uerti poteſt.

Paſce lupum, catulumq́; lupi, te ut deuoret ipſum.

Nolo hic eos commemorare, qui maximis beneficijs affecti, non ſolùm eos, quibus plurimũ debebant, bonis euerterunt, ſed etiam indigniſſimè uita priuauerunt. Suppetũt plurima exempla, quæ & ex Valerio Maximo in titulo de ingratis, & alijs autoribus ſunt excerpenda. Sed nullum mihi occurrit, quod propter inſignem calliditatem, & ſummam crudelitatem dignius ſit commemorari, quàm Bonifacij octaui ingratiſſimum facinus: qui cum Celeſtino, à quo plurimis antea beneficijs affectus, & ornatus erat, calidiſſimo commento perſuaſiſſet, ut Pontificiam dignitatem, quæ omniũ eſt longè maxima, deponeret, isq; in illius locum ſuffectus eſſet, eundem poſteà indigniſſimè in carcerem coniectum, acerbiſſimè mori coëgit. Quod quidem eò eſt magis execrandum, quòd eius eo tempore perſonam ſuſtinebat, qui tantùm abfuit, ut in ullos ingratus eſſet, ut etiam pro ijs, qui eum crudeliſſima morte afficiebant, patrem in cruce pendens oraret. Atque utinam, quæ noſtris tẽporibus acciderint, nulla eiusmodi poſſent uſquam exempla proferri. Vobis quidem longè plura, quàm uelletis, etiam inuitis, in mentem ueniunt. Neq; uerò priuatim tantùm ſingulos, ſed integros ferè pleroſque populos ingratos cogitatis. Quo quidem in numero uellem non poſſe Gebennenſes collocari, qui uno, & eodem tempore ab optimo principe ſuo, eodem'que epiſcopo defecerunt, & Orthodoxa religione reiecta, ad impiam ſectam ſe conuerterunt, ut nõ poſſint ingrati in ſuum principem animi crimine damnari, quin læſæ diuinæ maieſtatis ſimul rei peragantur. Aduerſus quos, ſi ut olim Athenis uſurpabatur, & apud Perſas diligentiſſimè obſeruari ſolitum

ſcribit

ſcribit Xenophon: ingrati actio intenderetur, quid cauſæ tandem excogitarent, cur prudentiſſimum principem, & uigilantiſſimum dominici gregis paſtorem non modò auerſarentur, ſed ſummis etiam ſtudijs non amplecterentur? Quid enim gregi ſuo facere debuit, quod non fecit? Quid non præſidij, quid non ornamenti in eum contulit? Qui etiam pro eius ſalute, uel maxima uitæ diſcrimina adijt. Quanquàm ſi in eum odij, aut offenſionis aliquid fortè conceperant, quorſum attinebat ſacra· prophanis miſcere, templa diruere, quæ Deo Opt. Max. dedicata erant, polluere, & non ſolùm in ſacerdotũ prædia, poſſeſſiones, & facultates omnes irrumpere, ſed & Chriſtis domini manus afferre? Sed eorum profectò exẽplo uerum probatur, in eo quidem, qui ingratus eſſe cœperit, nihil non uitij ineſſe: memorem autem, & gratam animi uoluntatem omnium uirtutum eſſe matrem. Ac ſapientiam quidem, & iuſtitiam, ſine ea mancam, & mutilam eſſe, imò ne eſſe quidem poſſe, hucuſque ſatis uidimus. Quid uerò magni, & excelſi animi uirtus? ea profectò exerceri non poteſt, niſi cùm quid Deo Opt. Max. quid patriæ, quid parentibus, quid tuis denique ciuibus debeas, cogitaris, ingentes ſpiritus concipias, & te ita inſtituas, ut pro ijs defendendis nullos non labores ſuſcipere, nulla non pericula adire, nulla certamina recuſare putes oportere. Modeſtus autem, & temperans eſſe nemo poteſt, qui non ita ſe gerit, ut non rationali, & quam ἡγεμονικὸν Græci: id eſt, principali, & dominanti animæ parti cupiditates ſeruiant, affectus obtemperent, libidines morem gerant.

Quòd

Quòd ſi contrà fiat, ut affectus quidem dominentur, omnium autem humanarum actionũ domina ratio ſeruiat, ingrati profectò ſumus, qui, quo uno à brutis differimus, & ad Dei ſimilitudinem, quam proximè fieri poteſt, accedimus, id ita abijcimus, ita contẽnimus, tam nihili facimus, ut, quod ſolùm præeſſe deberet, id per ſummum dedecus ſeruire cogamus. Quòd ſi omnium uirtutum mater, ut diximus, ea eſt uirtus, ex qua grati appellamur, ex eo quoq; uitio, quod nos ingratos facit, reliqua quoque neceſſe eſt deriuentur. Superbus certè is demum erit, qui beneficia Dei Opt. Max. non agnouerit, & non, ut par eſt, ei gratias egerit. inuidus, qui non ſolùm ob ea, quæ accepit, Deo gratias non agit, ſed & ob ea, quæ alij aſſecuti ſunt, magnum dolorem capit. Ad aliũ uerò lædendum, nemo iratus prorumpit, qui non quãdam hominibus inter ſe ueluti cognationem à natura eſſe datam, oblîtus ſit. Qui autem ſe totum libidini, & uoluptati dedidit: qui prurientes, & titillantes motus undique quærit: qui ſe ab omni honeſta actione, & quæ eſt ſecundum uirtutem, remouit, & ſe totum otio tradidit, is profectò nobiliſsimam ſui partem grauiſsima ignominia affecit, & in miſerandum corporis ſeruitium animam ſuam redegit. Qui autem ita feruet, et fertur auaritia, ut cuiuſuis bona diripere, quos libet ſine diſcrimine bonis euertere, fraudulentis cõſilijs magnas opes malè quærere, & non bono modo rem amplam facere pro nihilo ducat, & dum, quæ ſunt liberalitatis, et Chriſtianæ charitatis instrumenta pulcherrima, diuitias ſcilicet congerit, infodit, celat, à pauperibus, à propinquis, cognatis, amicis, à ſeipſo deniq;, quæ ſunt uitæ neceſſaria, amoueat,

uix eſt profectò, ut, qui tot homines offendit, non & multis, & in multos ingratus ſit. Atq; in horum quidem ſingulis ſi, ut res poſtulare uelle uidetur, explicãdis diutius immorari uellem, futurũ profectò eſſet, ut in ijs, quæ obiter, & propter aliud afferrentur, plus temporis inſumeretur, quàm in ijs, propter quæ adducerentur, exponẽdis. Neque enim de ingrati animi uirtute, & eidem oppoſito uitio pro dignitate tractari poteſt, niſi omnes quoq; uirtutes, & omnia ſimul uitia explicentur. Quod cùm immenſi eſſet operis, ad noſtrum quidem inſtitutum in præſentiarum ſatis ſit oſtendiſſe, nullam penitus uirtutem ab eo, qui non gratus ſit, haberi poſſe: ingrato autem contrà omnia uitia ineſſe. Quod cùm ita ſit, & nihil ſit uirtute pulchrius, nihil amabilius, nihil pretioſius, nihil magis expetendum, quæ & incorruptæ hominis naturæ maximè conueniat, et nos uel in hoc mundo regni iam cœleſtis participes faciat, hoc quidem certè corporis ergaſtulo ſolutos in cœlis Chriſto principi noſtro ſiſtat, & membra capiti uniat: agite, per Deum uos obſecro, et obteſtor, Auditores optimi, pulcherrimam grati animi uirtutem amplectamur, & mutuis inter nos certare beneficijs homine imprimis dignũ exiſtimemus: deteſtandum autem ingrati animi crimen abijciamus, repellamus, cane denique peius, & angue fugiamus.

FINIS.

GENTIANVS HERVETVS BERNARDO LAHETO

Burdegalæ aduocato Regio. S. D.

CVM multis iam retrò ſeculis hanc quaſi per manus traditam conſuetudinem uiderem, ut his primis ineũtis anni diebus ab amicis, ultro citroq; munera mittantur, & fœlicem anni exitum bene precentur, et cùm ob grauiſsimæ quidem aduerſariæ, ſed mihi diuturno iam uſu familiaris, & notæ, quartanæ, inquam, meæ moleſtiam, tum ob meis ſtudijs, uel iniquo quodam meo fato, uel neſcio qua hominum improbitate non cõceſſam ſedem, nihil à me proficiſci huiuſmodi poſſe intelligerem, quod cùm ego memori, & officioſo mitterẽ, tu æquo, & non repugnante animo acciperes, tandem uenit mihi in mentẽ Baſilij magni aduerſus iraſcentes libelli. Eum ego Riuontiũ repẽtina illa peſtis calamitate cũ toto collegio relegatus quibuſdam Græcæ linguæ ſtudioſis cùm legiſſem, & maxima tãti uiri admiratione ſumma cũ uoluptate coniuncta captus eſsẽ, uolui experiri, fieri'ne poſſet, ut Latinè uerſus eã & uerborũ dignitatẽ, & ſententiarũ grauitatẽ retineret, quã Græcè habet maximã: quod quidem quàm ſit difficile, atq; adeò quàm fieri nõ poſsit, cùm ſenſerim, et me fruſtra laboraſse intellexerim, hoc tamẽ me perfeciſſe

perfeciſſe ſpero, ut, ſi nõ adeò elegãter Latinè loquatur, ac Græcè, id literarũ potius Latinarũ tribuatur inopiæ, quã uel meæ imputetur negligẽtiæ, uel Græci ſermonis ignorãtiæ. In quo uertendo eã me diligentiã adhibuiſſe, phraſim Græcã cum Latina tãto labore cõtuliſſe præ me fero, ut nõ ſimilem quidẽ (quis enim hoc ſe aſſequi poſſe ſperet?) ſed nõ minori magnitudine libellum, nec eũ fortaſſe cõtemnẽdum minore negotio cõſcribere me potuiſſe exiſtimẽ. Sed quãtũ in Græcis uertẽdis ab ijs, qui ſtudioſè hoc agũt, ut, quoad eius fieri poteſt, Græca Latinis exæquentur, moleſtiæ exorbeatur, ij demũ intelligunt, qui rei longè difficilimæ periculũ fecere. Nec mihi profectò ulla laude digni hi uidentur interpretes, qui ſe abũdè ſatisfeciſſe exiſtimãt, ſi Græcã utcũq; dictionẽ expreſſerint: cùm intereà neglectis numeris, reiecto ad permouẽdos animos aptiſſimo orationis ſono, efficiãt, ut quod pulcherrimè Græcè cõpactũ, & uenuſtiſſimè coagmẽtatũ, uel inuitas hominũ mẽtes in quẽcunq; uellet affectũ, impelleret, Latinè diſſolutũ nec ornatus, nec decôri quicq̃ habeat: et miſerè langueſcat, et frigeat. Hoc ne Baſilio noſtro uſuueniret, cũ omni mea opera, induſtria, & diligentia pugnarim: isq; ſit Baſilius, qui integrè, et innocẽter actæ uitæ ſanctimonia clarus, atq; in diuorũ numerũ ſit relatus: neq; uerò cõmentitijs, & inanibus quibuſdam fabulis, quæ plerũq; apud imperitũ uulgus ueri ſpeciẽ occupãt, cõmẽdatus, ſed ſanctiſſimo Greg. Nazanz. q cũ eius uitã maxima eloquẽtia deſcripſit, ſibi tamẽ nõ ſatisfecit, teſtimonio cõprobatus, nõ dubito, quin tibi ſit multò gratior futurus, q̃ qcqd uel mei ingenij tarditas excogitare, uel mea in ſcribẽdo mediocritas afferre potuiſſet.

Accedit

Accedit ijs, quòd cùm eius dictionis magnificentiam, & Platonicam quandam maieſtatem apud me conſydero, ex ijs, qui Græcè de diuinis ſcripſerũt, quem ei comparẽ, non facilè reperio. Fuit in dicendo uehementiſsimus Gregorius Nazanzenus: ſed ita ſæpe affectatus, in nõnullis locis adeò obſcurus, ut, cùm omnia in eo ſumma intelligas, perſpicuitatem tamen illam oratori, eiq́; in primis, qui uulgi animos ad uirtutem inflammet, accommodatiſsimam frequenter in eo deſyderes. Ioannes autem Chryſoſtomus, quo Baſilius familiariſsimè ſemper eſt uſus, cùm tanta rerum, & uerborum copia ſcriberet, & diceret, ut aurei cognomen oris iure ſit aſſecutus, eiuſmodi tamen ſunt eius ſcripta, quæ te facilimè quidem, et maximè delectent: permoueant minus. In noſtro autem Baſilio quid deſyderari poſsit, non ſatis intelligo: qui cùm omnia clarè, apertè, & dilucidè ſcripſerit, ea porrò eſt elegantia, ut ſe mira uoluptate affici: ea uerò uehementia, ut extra ſe rapi, & diuino quodam ſpiritu afflari lectores ſentiant. Quod quidem cum frequentem diuini Platonis lectionem, cuius eum fuiſſe ſtudioſiſsimum cum multa alia loca, tum hic noſter libellus abunde teſtatur, nonnulla ex parte effeciſſe exiſtimem: tum uerò perpetuam illam diuinorum ſcriptorum meditationem, quæ aſsidua lectione adeò ſibi domeſtica, et familiaria reddiderat, ut non mirum ſit ſanctum illum, qui ubi uult ſpirat, ſpiritum eum ita afflaſſe, & eius cordis adyta ita inuaſiſſe, ut nemo ſit adeò ſpiritui rebellis, nemo adeò, ut Pauli uerbo, quo lubenter uti ſoleo, utar, animalis, qui ſe non aliquid ad rectè componendam uitam commoueri intelligat. Atque utinam his noſtris longè periculoſiſsimis

loſiſsimis temporibus exoriretur Baſilius aliquis, qui cùm fluctuantes uulgi animos ad iaciendum ſuper firmam petram fundamentum incitaſſet, eis quoq; non ad omne uitiorum genus Chriſtiana libertate utendum perſuaderet. Eò enim infelicitatis hoc longè miſerrimo ſeculo deuentum eſt, ut uel ſub CHRISTO clementiſsimo ſeruatore, tanquam ſub crudeliſsimo aliquo tyranno, aut immaniſsimo potius cacodæmone ſit uiuendum: aut ſi è tantis malis emergatur, & ad libertatem paululum aſpiretur, ne uel ea inſolentius utamur: aut, quod omnium maximè eſt timendum, ad inæqualem æqualitatem, atque ἀναρχίαν adeò aliquam res deducatur, magnopere ſit prouidendũ. Sed, qui ad conſummationem uſque ſeculi ſuos non deſerit Chriſtus IESVS, ineffabili ſua miſericordia his tandem miſerijs, & calamitatibus nos eſt erepturus. Quod quidem ut faciat, eſt aſsiduis omniũ precibus noctu, diuq; perpellendus. Baſilium autem noſtrum ſi æquo animo acceperis, & mihi rem gratiſsimã feceris, & ad maiora aggredienda, ſi quando otio meo literario paulò melius conſultum CHRISTVS Opt. Max. uoluerit, animum addideris. Vale. & quæ te immortalem aliquando ſunt redditura, literas amare perge. Vale.

Burdegalæ in collegio noſtro Calendis Ianuarij.

1534.

BASILII MAGNI SERMO ADVERSVS IRASCENtes, uerſus à Gentiano Heruěto Aurelio.

QVEMADMODVM in medicorũ præceptis, quando ea, ut artis ratio poſtulat, aptè, & cõuenienter fiunt, poſt experiẽtiam maximè demonſtratur, quãta ex ijs percipiatur utilitas: ita in ſpiritalibus quoq; monitis, et adhortationibus, ubi cõſentientẽ, & ueluti teſtimonio declarantẽ exitũ præcepta ceperint, tum demũ, quæ ſit in eis prudentia, et quanta cũ ad uitã corrigendã, tũ ad eos quoq;, qui pareant, perficiẽdos ſit utilitas, apertißimè oſtẽditur. Cũ enim prouerbia apertißimè oſtendentia audiamus: Iram etiã prudẽtes perdere: neq; Apoſtolicæ deſint adhortationes: Omnis ira, et excandeſcentia, & clamor à uobis tollatur cũ omni iniquitate: Chriſtũ quoq; dicentẽ audiamus: cũ, qui fratri temere iraſcitur, iudicio eſſe ei obnoxiũ: ſed cũ eius, qui non in nobis quidẽ inſit, ſed inexpectati cuiuſdã fulminis inſtar in nos irruperit, affectus periculũ facimus, tũc maximè, quã ſint ſuſpiciẽda, quãtaq; admiratione digna diuina præcepta, cognoſcimus. Iræ enim cedentes, & nõ ſecus, ac rapido, & uiolento torrenti, qua tranſeat, uiam dantes, et

quam

quam ſit indecora eorum, qui hoc affectu corripiuntur, perturbatio, ſilentio ediſcētes, reipſa intelligimus, quam hoc à ſcopo dictum non aberret: Virum iracundum indecorè ſe gerere. Vbi enim deturbata ſede ratione, affectus ipſe regendæ animæ principatum obtinuerit, hominem penitus efferatum reddit, ac ne hominem quidem eſſe permittit, ut cui ne minimum quidem rationis præſidium ſuperſit. Quod enim eſt uenenatis animalibus ſuum uirus, hoc eſt ira percitis, ira. Irrumpunt, irruunt, inſultant, rabieſcunt, ut canes, pungunt, ut ſcorpij, mordent, ut ſerpentes. Solet ſcriptura eos, quorum impotentes dominantur affectus, ferarum appellare nominibus, quibus ſe ſuis flagitijs ſimiles reddiderunt. Canes enim, mutos ſerpentes, uiperarum progeniem, et huiuſmodi alia appellat. Qui enim ita ſe comparant, ut uel alter alteri exitiū afferre, uel eis, qui eiuſdem ſunt generis, incommodare paratus ſit, meritò inter feras, & uenenata animalia, quæ perpetuum, idq; à natura inſitum cū hominibus odiū gerūt, ſunt annumerandi. Ex ira linguæ effrenes, ora, quæ nullis portarum clauſtris cohiberi poßint, manus impotentes, probra, maledicta, uerbera, multi deniq; alij, quos ne enumerare quidem poßis, affectus exoriuntur. Per iram enſis diſtringitur, & hominis manu hominis cædes intrepidè peragitur. Per iram fratres ſe inuicem non norunt, parentes, & liberi naturæ obliuiſcuntur. Qui enim ira concitantur, primùm quidem ſeipſos non norunt: deinde nec eos, qui ſibi ſunt aut neceßitudine, aut conſuetudine cōiuncti. Quemadmodum enim, qui in concaua loca torrentes confluunt, quicquid inciderit, ſecum attrahunt, ita

uiolenti, & impotentes iracundorum affectus, per omnia ſine ullo diſcrimine procedunt. Non eis eſt ueneranda canicies, nulla uirtutis, nulla conſanguinitatis, nulla priorum beneficioru͂, nulla denique eorum, quæ & in precio haberi, & plurimi meritò fieri æquu͂ eſt, ab eis ratio habetur. Breuis quidam furor eſt ira, ut qua perciti in ſuam, et quam antea ſatis perſpexerant, perniciem ruant, & dum omne͂ curam ad uindictæ ſtudium conferunt, ſe, & ſua penitus negligant. Accepti enim doloris memoria, non ſecus, ac œſtro quodam ſtimulati, efferueſcente, et exultante ira non prius quieſcunt, qua͂ uel ei, qui concitauerit, mali aliquid dederint, uel ipſi fortè acceperint: quemadmodum ſæpe accidit, ut, quæ ui, & magno impetu irrumpunt, plus mali, qua͂ inferu͂t, accipiant, ut, quæ ab obiectis, & repellentibus aduerſis non rarò confringantur. Quis uerbis co͂ſequi poßit, quàm leuibus de cauſis incitati, qui ſunt ad ira͂ procliues, uociferari, ſæuire, & quouis ſerpente impudentius ſubſultare non prius deſinant, qua͂ magno aliquo, atq; adeò immedicabili malo, bulæ inſtar ira diſrupta, & bilis tande͂ efflata, & exhalata ſit? Animu͂ enim iræ furore concitatum neque gladij acies, neque quicquam eorum, quæ ſunt maximè formidanda, magis poteſt reprimere, quàm eos, quos dæmoniaci furores inuaſere. A' quibus quidem neque corporis habitu, neque animi ſtatu quicqua͂ penitus differunt. Qui enim hoc nimiopere cupiunt, ut, qua͂ accepere iniuriam, referant, & malum malo rependa͂t, non ſecus, ac ignis furioſa quadam uiolentia exagitatus, eis in corde ſanguis ebullit: qui ubi ſe ad ſuperficiem uſque extulerit, alia͂ penitus formam oſtendit, ea, quæ antea fuerat

fami

familiaris, & nota, non ſecus, ac ſcenica aliqua perſona, omni ex parte immutata. Iam enim domeſtici, & conſueti non internoſcuntur oculi: ſed lubricus, toruus, ardens deniq; totus eſt conſpectus. Apri autē iam congreſſuri more dentibus ſtridet, eosq; exacuit: maculoſa autē, et ſanguine ſuffuſa tota eſt eius facies: totius corporis moles tumeſcens. Porrò, & uenæ ob internam illam tempeſtatē perturbato ſpiritu ruptæ: uox aſpera, & nimis intenſa: ſermo inarticulatus, & qui temere, confuſè, nulla nec loci, nec tēporis habita ratione, ne animū quidem aduertēti excidit. Vbi autē, non ſecus ac flāma nimia lignorū, & materiæ copia, multis eam incitantibus ita inflāmata fuerit, ut nihil eā ſedare poßit, tunc uerò, tunc quæ neq; uerbis exprimi, nec re poßint tolerari, ſe uidenda offerunt ſpectacula. Manus quæ ſuo generi uim afferunt, & in omnes corporis partes irruunt: pedes in opportunißima quæq; frequētißimè inſultant, & quicquid ſe caſu oculis obtulerit, id in ſuæ inſaniæ irati arma cōuertunt. Quòd ſi ex altera quoq; parte æquale, quod reſiſtere, et repugnare malum audeat, irā ſcilicet, & furorem nulla ex parte cedentē inuenerint, ea conſertis inuicem manibus & patiuntur, & faciunt, quæ, quibus eiuſmodi dæmon imperat, & facere, & pati æquū eſt. Mutila enim mēbra, & ſæpe etiā mortem, qui pugnāt, iræ præmiū referunt. Manus hic quidē primùm iniuſtè intulit: ille uerò retulit: hic cōtrà rurſus attulit: ille autē non cedit: & corpus quidē uulneribus laniatur, ira autē doloris ſenſum non admittit. Neq; enim eis tantum eſt ocij, ut, quid mali acceperint, ſentiāt, cū in eo, ut par pari referat, acceptæ iniuriæ memor animus totus ſit. Ne mali præſidio

malo mederi uelitis: nec alter alterũ calamitatibus ſupera re ſtudeatis. In malis enim certaminibus qui uincit, eò eſt miſerabilior, quòd iniquitatis, & iniuſtitiæ maiorẽ ſecum partem auferat. Ne malum igitur conuiuium perficere, et malè creditã ſortem exoluere ſtudeatis. Tu autẽ illius ira, tanquã fluento aliquo, in cor tuũ admiſſa, uentos imitari ſtudes: qui, quod in eos illatum fuerit, contrarijs flatibus alter in alterũ uiciſsim repellunt. Ne inimicũ tuum tibi magiſtrũ cõſtituas: neq;, quod odio habes, id imitari ſtudeas: neq; te irati, ueluti ſpeculũ proponas, cũ eius uultũ, & formam in te ipſo referas. Ruber ille: at tu non rubore ſuffuſus es? ſanguinolenti ei ſunt oculi: Tui autẽ an'ne ſereni? Vox aſpera: Tua autẽ lenis'ne, & benigna? Ne Echo quidem in ſolitudinibus, & deſertis adeò integra ad eum, qui locutus eſt, reflexa eſt, ut ad conuitiatorem conuitia redeunt. Atq; adeò ipſe quidem ſonus ab Echo idem redditur. Conuitiũ autem non ſine aliqua acceſsione regreditur. Cuiuſmodi enim ſunt, quæ, qui ſe mutuis cõuitijs impetũt, obloquuntur? hic quidẽ ignobilem, et humili loco ortũ dixit: Ille autẽ uernarum uernã appellauit: hic quidẽ pauperẽ: ille uerò plãnũ, & erronem: hic indoctũ, ille ſtupidum, & attonitũ, donec illis conuitia tanquã tela defecerint. Vbi autẽ omnia probra, omnia conuitia, omnes contumelias lingua uibrauerint, tũ demũ ſupereſt, ut ad pœnas re, & facto ſumendas ſe conferant. Ira enim cõtentionem, contentio conuitia, porrò conuitia ictus, ictus uulnera pariunt: ex uulneribus autem mors ſæpiſsime naſcitur. Malum ab initio ſtatim cohibeamus: & quauis arte, & ratione ex animis noſtris irã expellamus. Ita enim plurima

ſimul

ſimul de medio mala ſuſtulerimus, ſi hunc utpote radicē, & principiū, radicitus affectū euellere, & excindere labo rauerimus. Hic te conuitio affecit: tu illi bene precare. Ver berauit: tu autē forti animo patere. In te expuit, teq́; nihili facit. At tu fac apud te cogites, te cū ex terra creatus ſis, ī eandē quoq; rurſus diſſoluendū. Qui enim huiuſmodi ra- tionibus ſeipſum antea præmunierit, omne probrū, omnē cōtumeliam, omnē deniq; ignominiam longè minorē eſſe, quā res ipſa ſit, inuenerit. Ita enim et inimico tuo, cū nul- lis conuitiorū uulneribus pateas, omnē de te exigēdæ uindi ctæ uiā præcluſeris: & tibi magnā patientiæ coronā cōci- liaueris, cū ex alterius inſania propriæ philoſophiæ occa- ſionē arripias. Quare, ſi mihi credas, uberiorē quoq; ma- ledictorū copiā tibi ipſe afferes: obſcuro loco natū: igno- bilē, ingloriū, nullius pretij hominē, terræ filiū, et qui, nec unde ortus ſis, ſcias, uocauit: Tu autē, terram, & cinerem teipſum apelles. Nō es noſtro patre Abrahā magis hono- randus, qui ſe huiuſmodi nominibus appellare nō erubuit. Te indoctū, mendicum, uiliſsimū hominem dixit: Tu autē teipſum uermē appelles, & ex fimo ortum tibi uendices, Dauid uerba uſurpans. His adde & egregiū illud Moſis factū, qui cū ab Aarō, et Maria maledictis eſſet laceſsitus, non in eos apud Deū inuectus eſt: ſed pro eis Deū orauit. Quorū mauis eſſe diſcipulus? Apoſtolorū'ne, & beatorū uirorū, an eorū, qui ſpiritus iniquitate sūt oppleti? Si quā- do tibi maledicētiæ tētatio excitata fuerit, exiſtima dicta- tū eſſe iudiciū, & de te ſententiā ferendā: utrū tolerantia, et lenitate ſis ad deū acceſſurus: an ira, et animi acerbitate ad aduerſariū præceps abiturus. Cōcede ratiōi tantū tpis,

quantum ad bonam partem eligendam ſatis ſit. Aut enim in demonſtranda tua lenitate, & clementia plurimum ei profueris: aut tua illa deſpicientia probè ulciſcêris. Quid enim inimico grauius, aut moleſtius eſſe poßit, quã ſi inimicum longè omni cõtumelia ſuperiorem intellexerit? Ne tuum ipſe animũ nimis abijcias: neq; cõmittas, ut ullæ improborũ contumeliæ ad te poßint pertinere. Fac, ut cùm diu eis adlatrare pmiſeris, ſe tamẽ nihil profeciſſe, & fruſtra laboraſſe intelligant. Quemadmodum enim, qui eum uerberat, qui nullo doloris ſenſu tangitur, ſeipſum excruciat, ut qui nec de inimico pœnas ſumat, nec iræ ſuæ finem imponat: ita qui eũ maledictis laceßit, qui conuitia, et cõtumelias, ut quibus obnoxius nõ ſit, negligit, nullũ ſui affectus ſolatiũ ullo modo reperit: ſed contrà, ut dixi, ſeipſum angit, et urit. Iam enim ex hoc præſenti certamine, quibus ſtatim nominibus appellabitur uterq; ueſtrũ? Ille quidem conuitiator, et maledicus: Tu autẽ magnanimus. Ille aſper & iracũdus: Tu mitis, et patiens. Illum quidẽ eorum, quæ dixit: Te autẽ tuæ uirtutis nunquã pœnitebit. Quid pluribus uerbis opus eſt? Illi quidem cœlorũ regnũ occluſit ſuũ conuitiũ: regni enim cœleſtis maledici nõ erunt hæredes: Tibi autẽ cœlorum regnum tuum parauit ſilentium. Qui enim ad finẽ uſque ſuſtinuerit, is demũ ſaluus erit. Quòd ſi te ad uindictam paraueris, & æquo contumeliarũ cãpo te maledico oppoſueris, quid, quæſo, reſpondebis? Quòd prior te irritauerit? An tu ideò tibi ignoſci poſtulas? Sed neq; ſcortator, qui in meretricẽ, quæ eum illexit, culpam confert, minus ideò, qui condẽnetur, dignus cenſetur. Neq; ullæ unquam ſunt coronæ, niſi ſint, qui aduerſus certantes

congre

*congrediantur:nec ulli unquam lapſus,niſi adſint,qui re=
luctentur. Audias Dauid dicentem:dum conſiſteret pec=
cator aduerſum me,non cõmotus ſum,neq; ultus:ſed ſur=
dus factus ſum,et humiliatus,et tacui ex bonis. Tu autem,
quòd malum ſit conuitium,commouêris.At id rurſus tan=
quam bonum imitaris: hoc ipſum feciſti,quod reprehen=
dis. Neq; enim,quòd alius ceperit,id ſatis eſt, ut te pur=
ges,ſed ut tibi acrius ſuccẽſeatur,eò æquius eſt, quòd ille
nullum quidem exemplar,quod eum contineret,et tempe=
rantiæ admoneret,habebat. Tu autẽ,cùm eum iraſcentem
nõ ſatis honeſtè,et decorè ſe gerere uideres,ne tamẽ eum
imitareris,nõ ſatis cauiſti:ſed iraſceris, exacerbaris,&,
ne te uehemẽtius indignetur,contẽdis: tuuſq; efficit affe=
ctus,ut,qui te ad iram prouocauit,iam paratum habeat,
quod ſuæ defenſionis cauſa in medium proferat:tuis enim
factis perfeciſti,ut,cùm eum crimine liberaueris,ipſe à te
condemnatus uideare. Si enim res mala eſt ira,cur malum
nõ uitaſti? ſi autẽ ea eſt eiuſmodi,cui facilè poſſit ignoſci,
cur tã acerbè in iraſcentẽ inueheris? Quod igitur ad par
pari referendum ſecundo loco ueniſti,hoc te nihil penitus
iuuabit. Nec in ijs quidem certaminibus,in quibus præmiũ
corona ꝓponitur,qui prior luctari cœpit, ſed qui uicit,is
coronatur. Condemnatur itaq; nõ ſolùm is,qui in admit=
tendo ſcelere præceſſit, ſed et qui malum ducẽ in peccato
ſecutus eſt. Si pauperẽ te uocat,ſi quidem uera dicat,ue=
ritatẽ admitte:ſin falſum,quid ad te,quod dicitur? Neq;
tibi animos attollant,quæ ultrà,quàm uerũ ſit,laudes tri=
buũtur:neq; cõtumelijs irriteris,quæ te nihil attingere in=
telligũtur.An nõ uides natura ita cõparatũ,ut, ſi quæ ſa=*

gittæ in ſolida,& quæ ſua duritie reſiſtūt,corpora perue nerint,in ea facilè infigātur,et penetrēt:in mollibus autē, & quæ nō ægrè cedant,omnē impetū,et omnē uiriū firmitatē diſſoluāt? De cōtumelijs quoq;,& cōuitijs fac eodem modo exiſtimes. Qui reſiſtit,et repugnat,in ſeipſum admittit:qui autē lubenter,et ſua ſponte cōcedit,quā in eum tendebat,improbitatē ſua morū lenitate diſsoluit. Quid te pauperis appellatio cōturbat? Fac tuæ naturæ,tuiq; ortus tibi ueniat in mentē:qui cùm nudus in mūdum ueneris,nudus quoq; ſis hinc receſſurus. Quid autē nudo eſt pauperius? Porrò nihil mali audiuiſti,niſi,quæ tibi,ut mala obijciūtur,ea tu tibi,ut propria aſſerueris,& tanquā tua tibi uēdicaris. Quis ob paupertatē in uincula unq̄ eſt cōiectus? Non,ſi quis pauper ſit,id ſtatim probro datur:ſed ſi quis nō forti animo paupertatē patiatur. Dominū noſtrū memoria repete,qui cùm diues eſſet,propter nos pauper factus eſt. Si te indoctum,et imperitū appellarit,animo tuo occurrāt petulantes,et improbæ,quibus uerā ſapientiam affecerūt,Iudæorū cōtumeliæ: Samaritanus es,et dæmoniū habes. Si ira itaque percitus fueris,quæ in te ingeſta ſunt, probra ipſe planè cōfirmaſti: quid enim ira imprudentius dici poteſt,aut fingi? Quòd ſi te ita geſſeris,ut te ira impellere nō potuerit,qui te cōtumelia affecit,dedecore,& ignominia affeciſti,cùm inſignē tuā patiētiā abūdè reipſa oſtenderis. Colaphis cæſus es? et dominus quoq; cæſus eſt. Verberatus es? ſed & noſter dominus: qui ne à ſputorum quidem ignominia uultū unq̄ auertit. Sycophantarū calūnijs petitus es? ſed et dominus. Tunicā tibi diripuerūt? ſed meū quoq; dominū exuerūt,& ſibi eius ueſtes diuiſerunt: nōdum cōdemnatus es;nōdum crucifixus. Chriſtum ſæpe

oportet aſſumas,ut ad eius imitationẽ peruenias. Huiuſmo *di enim præparationes,& diſpoſitiones,cũ cordis ſubſul= tationẽ,ut ita dixerim,& tanq̃ pulſum auferãt,ad trãquil litatẽ,et cõſtantiã animũ reducũt.* Et hoc ipſum eſt,quod à Dauid dicitur: Præparatus ſum,et nõ cõturbatus. Opor *tet etiã furioſum,et ueluti attonitũ animi motũ diuinorum exẽplorũ memoria reprimere.* Quàm modeſtè magnus il= le Dauid Semei cõtumeliã pertulit? dominus,inquit,Semei dixit,ut Dauid malediceret. *Neq; enim iræ tẽpus dedit,ut ſe cõmoueret,cũ ſuã illico cogitationẽ ad dominũ trãsfer= ret.* Dominus,inquit,dixit Semei,ut Dauid malediceret. *Cùm enim uir ſanguinũ,& uir impius,ab eo audiret,nõ ei ſuccenſuit,ſed ſeipſum humiliauit,tanq̃ ea cõtumelia in ſe meritò incidiſſet.* Hæc duo fac ut tibi amputes: *ut neq; ſci= licet te magni eſſe putes: neq; ullum hominem te dignitate inferiorẽ exiſtimes.* Ita enim futurũ eſt,ut ijs,quæ in te in= gerũtur,cõtumelijs ira nunq̃ tibi cõcitetur. Eſt quidẽ indi gnũ,cui tu beneficeris,et quẽ officiorum magnitudine tibi obnoxiũ reddideris,præterq̃ quòd ingrati animi crimine reus ſit,te quoq; probris,& cõtumelijs laceſſere audeat. Indignũ quidẽ eſt,ſed ei,qui facit,multò eſt grauius malũ, quã ei,qui patitur. Sit ille quidem contumelioſus: at tu eũ cõtumelia ne affeceris. Fac,ut te huiuſmodi uerba ad phi= loſophiã exerceãt. Si nõ mordearis,uulnus nõ eſt inflictũ. Quod ſi animũ nõnihil perturbatũ ſenſeris,intus cõtine, quod eſt tibi moleſtum. In me,inquit,turbatũ eſt cor meũ: hoc eſt,foras nõ erupit,nec ſe oſtẽdit affectus: ſed nõ ſecus ac unda aliqua intra littoris terminos,cõfractus,& ſeda= tus eſt. Fac,ſileat cor iſtud adlatrans, & nimium ferox.

Fac,

Fac, ut tui affectus nõ ſecus, quæ in te eſt, rationis reuereã tur maieſtatẽ, ac pueri, qui ſunt inſolentes, & immodeſti, grauis, & uenerandi hominis præſentiã. Quomodo itaq; fieri poteſt, ut ſi fortè iraſcamur, nihil ex eo damni ſentiamus, ſed affectui perſuadeamus, ne rationẽ præuertat: & huius primam diligenter curam geramus, ne is unquam mentem præcurrat: eum autem non ſecus, ac currui iunctum equum, contineamus, ut tanquam freno, rationi pareat, & à loco, in quo collocatus eſt, nõ recedat, ſed quòcunq; præceſſerit ratio, eam ille ſequatur? Ad multa uirtutis opera, maximè accommodata, & in primis neceſſaria nobis eſt iraſcibilis animi pars, quãdo ut miles aliquis, non longè ab Imperatore armis poſitis, ad ea, quæ iuſſus ſit, promptè fert auxilium, & ſe aduerſus peccatum rationi adiutricem præbet. Eſt enim animi neruus ira, ut quæ ad honeſta aggredienda uires, & robur afferat. Quòd ſi quando eum uoluptate, ac delicijs ſolutum, & eneruatum repererit, non ſecus ac, qui ferrum intingunt, ex molli, remiſſo, & effœminato, ſeuerum, acrem, et fortẽ efficit. Si enim aduerſus malum iraſcaris, fieri non poteſt, ut, quo æquum eſt, odio id non proſequaris. Eſt enim, ut exiſtimo, æquo ſtudio contendendum, ut & uirtutẽ amemus, & in uitium odium geramus. Quam quidem ad rem mirum in modum nobis utilis ira fuerit, quãdo non ſecus, ac canis paſtorem, ita rationem ſequens ira, ijs, quæ honeſta, & utilia ſunt, mitis, & manſueta, & à ratione facilè reuocanda permanet: & ad externi quidem aſpectum, & uocem quàmuis blandam, & boni quid præ ſe ferentem facilè irritatur. At cùm domeſticus, & familiaris, uel

ſemel tantùm clamauerit, ſtatim timet, & reueretur. Hoc *eſt optimum illud mutuum, et prudenti animæ parti iuſta proportione congruum, quod ab iraſcibili animi parte proficiſcitur auxilium. Qui enim eſt huiuſmodi, is, ut cum inſidiatoribus in gratiam redeat, & cum ijs fœdus, aut cum inhoneſto, & inutili amicitiam ineat, nunquàm in animum inducere poterit: ſed inſidiatricem uoluptatem, ut lupum aliquem ſemper adlatrabit, conuellet, & laniabit.* Eiuſmodi *ea eſt, quæ ex ira percipitur utilitas, ſi qui ſunt, qui commodè tractare, & ea rectè uti ſciant: quandoquidem aliarum quoque animæ potentiarum, ſecūdum utendi modum unaquæq; uel bonum, uel malum hominibus efficitur. Quemadmodum concupiſcibili animi parte, qui ad explendum quidem carnis deſyderium, & ad impuris fruendum uoluptatibus utitur, is eſt intemperans, et odio dignus: qui autem ad* Dei *amorem, & æternorum bonorum cupiditatem animum conuerterit, is ſuſpiciendus, & beatus iure eſt exiſtimandus.* Iam & *rationalem animæ partem qui rectè quidem tractauerit, is prudens, & ſapiens dicendus eſt: qui autem in propinquorū perniciem ingenium exacuerit, is uafer, aſtutus, improbus, & ſceleſtus meritò eſt exiſtimandus.* Ne igitur, *quæ nobis ad noſtram ſalutem à creatore data ſunt, ea, ut nobis in peccati occaſionem cedant, faciamus.* Ita *ira quando, & quomodo oportet, excitata, fortitudinē, tolerantiam, temperantiam procreat: at ſi præter rectam rationem aliquid faciat, iam mera fit inſania.* Et *ideo his quoque uerbis nos* Pſalmus *admonet.* Iraſcimini, & *nolite peccare.* Et *dominus quidem ei, qui temere fratri iraſcitur, iudiciū intendit,*

intendit, & parat: at quòminus ira, tanquam pharmaci aliqua ſpecie, ad ea, quæ oporteat, utamur, non uetat. Hoc *enim:* Ponam *inimicitias inter te, & ſerpentem: & hoc: Inimici eſte Madianeis. Quis eſt, qui cùm hæc legerit, ira, tanquã armis, & inſtrumẽto aliquo, utendum nõ cenſeat? Et propterea Moſes ille omniũ hominũ longè mitiſſimus, cùm in idololatriã animaduerti oportere uideret, Leuitarum manus ad fratrũ cædem armauit:* Ponat *enim unusquiſq; romphæam ſuper femur ſuũ: & à porta in portam trãſeat: & per caſtrorũ medium deflectat: fratrem ſuum unus quiſq; interficiat, & qui ei cognatione eſt proximus. Et paulò pòſt. Et dixit, inquit Moſes, implete manus hodie ueſtras domino unus quiſq; in filio ſuo, et in fratre ſuo, ut detur in nos benedictio. Quid autem Phinees iuſtificauit? An nõ iuſta aduerſus ſcortatores ira? qui cùm alioqui mitis eſſet, & clemens, Zambri, et Madianitidis adeò impudentem ſcortationẽ uideret, ut ne turpitudinẽ quidem ſuã celarẽt, turpe, & inhoneſtum ſpectaculum nõ ferẽs, quã oportuit, irã uſurpauit, et utrũq; ſuo ſeromaſte trãſegit. Samuel autẽ nõ Agac Amalech regẽ, quẽ Saul aduerſus domini mandatũ ſeruarat, in mediũ adductũ, iuſta ira cõmotus occidit? Ita fit, ut ira, bonarum ſæpe actionũ comes ſit, & miniſtra. Helias autẽ ille Zelotes, quingentos, et quinquaginta uiros Iezabel menſam comedentes, prudenti, et iuſta ira cõcitatus, ad maximã totius Iſraël utilitatẽ occidit. Tu autẽ fratri tuo temere iraſceris. Quid ni enim temere? cùm alius quidem faciat, tu autem alij ſuccẽſeas: idq;, quod à canibus fieri ſolet, facias: qui lapides quidem mordeant, eum autẽ, qui proiecerit, non attingãt.*

Verum

Verumenimuero qui impellitur quidem miſeratione: qui autē facit, odio dignus eſt. Illuc irā tuā cōuerte, in homicidam, mendacij patrē, peccati effectorem: fratris autē tui etiā miſerere: qui ſi in peccato perſtiterit, eſt unà cū diabolo æterno igni tradendus. Cùm autem ſint duæ iræ ſpecies, quæ, ut nomine, ita et re multū differūt: quarū altera, quæ Græcè θυμὸς *dicitur, Latinè autem excandeſcentia, et ſi nō ſatis uſitato uocabulo, dici poteſt, eſt repentina illa, & acris affectus commotio, & tanquam exhalatio. Altera, quæ Græcè* ὀργὴ, *Latinè autem uel ſimultas dicatur, uel id eſſe intelligatur, quod barbarè rancor dicitur, eſt perpetuus ille dolor, & continuus motus, quo quis ad referendam ijs, qui prius attulerunt, iniuriam impellitur, animo ueluti exagitato, & ad exigendam uindictam inflato. Sciendum eſt autem, in utriſque his affectibus homines plurimùm errare, et qui uel furioſè, uel, ut ita dicam, attonitè in eos, qui ad iram concitauere, ferantur: uel fraudulenter, & malitioſè ijs, qui doloris, aut moleſtiæ aliquid attulere, inſidientur. Quorum utrunque diligenter à nobis cauendum eſt. Quomodo igitur, quomodo, inquam, fiet, ut ad ea, quæ non oportet, affectus non commoueatur? Si eam edoctus ſis humilitatem, quam dominus & uerbis inſtituit, & re declarauit, nunc quidem dicens: qui uult inter uos eſſe primus, ſit omnium ultimus: nunc leuiter, & non iniquo, & perturbato animo percutientem patiens. Cœli enim Creator, & terræ dominus, & quem omnis, quæ uel intellectu tantùm percipi creatura poteſt, adorat, qui ſuæ potentiæ uerbo omnia fert, & continet, non eum ad inferos,*

terra impio dehiſcente, demittit: ſed eum admonet, & docet. Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi ſi autem bene, quid me cædis? Si enim iuxta domini præceptum, omnium ultimus eſſe didiceris, quando unquam ſuccenſebis, quòd præter tuam dignitatem, contumelia fueris affectus? Si quando probrum, aut contumeliam puellus in te fortè ingeſſerit, magnam ridendi materiam eius conuitia tibi ſuppeditare exiſtimas. Quòd ſi quis, cui phreneſis non ſatis ſanam mentē reliquit, uerba in te ignominiæ, & dedecōris plena torſerit, eū non tam odio, quàm miſericordia dignum iudicas. Non ea itaque uerba ſunt, quæ dolorem ſuapte natura poßint excitare: ſed & ſuperba eius, qui conuicio afficit, deſpicientia, & nimis magna ſui cuiuſque opinio. Quòd ſi horum utrunque à tua procul cogitatione ſemoueris, iam præter ſtrepitum inanem, & temere, quæcunque occurrerint, reddentem, nihil omnino supereſt. Animum itaq; rege, & iram comprime, & eius iræ periculum deuites, quæ de cœlo in omnem iniquitatem, & impietatem reuelatur. Si enim prudenti, & moderata ratiocinatione, acerbam iræ radicem excideris, multos ea ratione affectus unà protinus ſuſtuleris. Fraus enim, dolus, perfidia, impoſtura, inſidiæ, confidentia, & iniquum huiuſmodi uitiorum examen, ſunt omnia huius peccati ueluti quædam germina. Ne tantùm igitur malum in nos ipſos admittamus, animi morbum, & imbecillitatē, rationis caliginem, à Deo alienationem, conſanguinitatis, & neceßitudinis ignorantiam, belli fontem, calamitatum congeriem, & malum, qui noſtris innaſcitur animis, dæmonem, qui quum impudenter, tanquam in domicilio alieno,

no, inhabitans, interna noſtra præoccuparit, & inuaſerit, Sanctum ſpiritum, ne ullus ei ad nos pateat aditus, arcet, & repellit. Vbi enim inimicitiæ, lites, contentiones, ambitiones, quæ incredibiles in animis tumultus excitãt, illic manſuetudinis ſpiritus nunquàm poterit quieſcere. Beati autem Pauli adhortationi pârentes, omnem iram, & excandeſcentiam, & clamorem à nobis tollamus cum omni iniquitate, & ſimus alter alteri benigni, miſericordes, expectantes beatam illam ſpem mitibus, & manſuetis promiſſam. Beati enim mites, quoniam ipſi terram poßidebunt. In Chriſto IESV *Domino noſtro, cui gloria, & potentia, cum principio carente patre, cum ſancto, & bono, et uiuifico eorũ ſpiritu, nunc & per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

BASILII MAGNI DE INVIDIA

SERMO, VERSVS À GENTIANO HERVETO AVRELIO.

BONVS eſt Deus, & bonorum dignis dator. Malus diabolus, & omnis improbitatis artifex: et quẽadmodum qui bonus eſt, & bonis abundat, & ab omni inuidia prorſus eſt alienus, ita diabolum perpetua ſequitur inuidia. Caueamus itaq; fratres inuidiæ morbum, ne aduerſarij operũ ſimus participes, & eodẽ condẽnati iudicio depræhẽdamur. Si enim q ſuperbia intumuit, in diaboli iudiciũ incĩdit, quomodo, qui inuidus eſt, paratũ Diabolo ſuppliciũ effugerit? Nullus enim hominũ animis inuidia pernicioſior affectus, à natura inſitus eſt, qui cũ eos, qui foris ſunt, minimè excruciet, ei quidẽ, qui illã poßidet, primũ eſt, et familiare malum. Quemadmodũ enim rubigo ferrũ, ita inuidia, quæ eã retinet, animã cõſumit: & quod magis eſt, quemadmodum uiperas exeſo, quo geſtabãtur, utero enaſci dicũt, ita & inuidia, quæ eã parturit, animã conſumere ſuapte natura conſueuit. Proximi enim felicitatis dolor eſt inuidia. Quo fit, ut nunquã inuido cura, nunquã deſit triſtitia. Fertilis fuit ager proximi, quicquid ad ſuã, & ſuorũ uitã eſt neceſſa

neceſſarium,ſuppetit,nihil,quod eius animũ recreare,& exhilarare poßit,deficit,hæc oĩa ſunt morbi fomes, et acceßo doloris ĩuido,adeò ut à nudo homine,q̃ ab omnibus undiq; uulneratur,nihil penitus differat. Eſt quiſpiã robuſto,& uegeto corpore, eſt bona, & integra ualetudine: hæc inuidũ feriũt. Alius forma uenuſtior,aliud rurſus uulnus inuido inflictũ eſt. Alius animi dotibus multos excellit,propter inſignẽ prudentiã, & admirabilẽ dicendi facultatẽ ſuſpicitur,& beatus exiſtimatur. Alius diues eſt, et in impertiendis pauperibus bonis plurimã gloriã aſſequitur,& ab ijs,quos donis,et beneficijs afficit,laudatur, hæc oĩa ſunt inuido ictus,& uerbera uel medium eius cor diuerberãtia,& quod eſt in morbo grauißimũ,ne eũ quidem audet aperire:ſed triſtis quidẽ eſt,et anxius,& mali magnitudine miſerè affectus,perturbatus,et perditus:ſed ſi de morbo interrogetur,calamitatẽ ſuam reuelare erubeſcat,his uidelicet uerbis: Inuidus ſum, & acerbus,& me fratris, & amici perdunt bona, eius animi alacritatem, & tranquillitatem defleo, & alienorum bonorum ſpectaculum non fero, ſed proximorum felicitatem, meam calamitatem,& miſeriam duco: hæc enim diceret,ſi uera uellet dicere. Quorum cùm nihil uelit aperire,morbum, qui ſua corrodit, atq; adeò exedit uiſcera, in profundo continet. Quo fit, ut neq; morbi medicum accerſat, neq; aliquod pharmacum, quo morbo medeatur,inueniri queat. Atqui plenæ ſunt ijs medicamentis ſcripturæ: ſed unicam expectat à morbo quietem, ſi quem eorum, quibus inuidet,corruiſſe uiderit:hic eſt odij finis,eum,cui inuidetur, ex felice miſerum uidere, & miſerabilem eſſe,

qui beatus exiſtimabatur. Tunc fœdus init, & amicus euadit, cùm lachrymantem uiderit, cùm lugentem ſpectarit, & gaudenti quidem, & proſperè res ſuas gerenti non gratulatur: cum lugente autem collachrymatur, & de fortunæ quidem mutatione, quòd ex ſublimi in infimum ceciderit, conqueritur, non ideò priora uerbis extollens, quòd humanitate moueatur, & mutuo ærumnarum dolore tangatur: ſed ut grauior, & multò intolerabilior ei ſua calamitas reddatur. Filium poſt mortem cõmendat, & infinitis laudibus extollit: Quã ſcitus, & quã uenuſtus erat! quàm docilis, & quàm ad omnia aptus, & cõpoſitus! cũ eo adhuc uiuo, ne benignè quidẽ de eo unquã ſit locutus. Quòd ſi multos in eo laudando cõſentientes uiderit, protinus mutatus, mortuo rurſus inuidet. Diuitias poſt infortuniũ admiratur. Corporis uenuſtatẽ, uel robur, uel bonã habitudinẽ, poſt morbos laudat, & extollit: & ut paucis dicam, præſentiũ quidẽ inimicus, amiſſorum autẽ eſt amicus. Quid hoc itaq; morbo pernicioſius eſſe poßit? uitæ pernicies, exitiũ naturæ, eorũ, quæ nobis à Deo data ſunt, odium: aduerſus Deũ cõtradictio. Quid malorum omniũ fontem dæmonẽ, ad bellum cum hominibus gerendũ excitauit? nunquid inuidia, per quam Dei quoq; hoſtis apertè comprobatus eſt? Deo quidem ſuccẽſens propter inſignem eius in hominem beneficentiam, hominem autem ulciſcens, quoniam Deum non poterat. Eadem autem feciſſe & Cain oſtenditur primus Diaboli diſcipulus, qui inuidiæ, & cædis germana flagitia ab eo edoctus eſt. Quæ etiam coniunxit Paulus, cũ diceret: Plenos inuidiæ, & cædis. Quid autem erat, quod fecit? Vidit Dei honorem, &

æmula

æmulatione eſt accenſus, & eũ, qui honorauerat, ſuſtulit, ut, qui honore affectus erat, attingeret. Cũ enim ad bellũ cum Deo gerendum non ſatis eſſet, ad fratris cædem conuerſus eſt. Fugiamus fratres ægritudinem, quæ nos cum Deo pugnare docet, homicidij matrẽ, naturæ confuſionẽ, conſanguinitatis ignorantiã, à ratione alieniſſimã calamitatem. Quid excruciaris ò homo, nulla graui affectus iniuria? Quid cũ eo bellum geris, qui bonis multis abundat, cùm de tuis is nihil detraxerit? Quòd ſi is ſis, qui uel beneficijs affectus ſuccenſeas, an non apertè tuo ipſius cõmodo inuides? Cuiuſmodi erat Saül, q̃ quæ maxima à Dauid accipiebat beneficia, ea in belli aduerſus eũ gerendi occaſionẽ trahebat? Primùm enim pulcherrima illa, atq; adeò diuina muſica furore liberatus, benefactorẽ lancea cõfodere tẽtauit. Deinde cum ipſo exercitu ab hoſtibus ereptus, & à ſumma, quæ ei à Goliath inurebatur, ignominia purgatus: tamen, quoniã in ijs, qui in uictoriæ laudẽ canebantur, uerſibus, eorũ, quæ cõtigerũt, cauſæ decuplum ei attribuerunt ſaltantes: Percuſſit Saül mille, et Dauid decem millia, propter hanc ſolam uocẽ, & quod ex ueritate profectũ erat teſtimoniũ, primùm quidem eũ ſua manu ex inſidijs interficere conatus eſt. Deinde cũ eum profugũ conſtituiſſet, ne ſic quidem odium repreſſit: ſed tribus tandem electorũ milibus aduerſus eũ bellũ gerẽs, ſolitudines perſcrutabatur. Quòd ſiquis ab eo belli cauſam, quæſiuiſſet, eius omnino uiri in ſe beneficia dixiſſet, qui in ipſo perſecutionis tẽpore dormiens deprehenſus, ad cædẽ paratus, inimico procumbẽs, & rurſus à iuſto ſeruatus, qui ei manus afferre cauebat: neq; tanto tamen beneficio flexus eſt:

ſed rurſus & copias cōparauit, & eum perſecutus eſt, do nec iterū ab eo in ſpelunca captus, eius quidē uirtutem clariorē reddidit: improbitatē autē ſuam inſigniorē effecit. Intractabiliſſimum odij genus eſt inuidia. Qui nobis enim alioqui malè uolunt, mitiores beneficia reddunt. Inuidū autem, et malignū ſi beneficio affeceris, eò magis irritaueris: & quò à te maiora fuerit aſſecutus, eò magis uexatur, ægrius fert, & excruciatur: magis enim propter eius, qui beneficiū contulit, dolet potentiā, quā propter ea, quæ in ſe collata ſunt, habet gratiam. Quas nō feras morū acerbitate ſuperant? Quæ nō uel efferatiſſima animalia feritate lōgè antecedūt? Nutriti canes manſueſcunt: leones medicantibus, et cibos præbētibus tractabiles fiunt: at inuidi officijs multò efferatiores, et immitiores reddūtur. Quid uirum præſtantiſſimū Ioſeph ſeruū fecit, nunquid inuidia fratrum? Quo in loco admirari æquū eſt, quàm ab omni prorſus ratione alienus eorū eſſet morbus. Cùm enim ſomniorum euentū timerēt, fratrem ſeruū fecerunt: perinde acſi fieri non poſſet, ut is adoraretur, q ſeruus eſſet. Atqui ſi uera ſunt ſomnia, qua ratione fieri poteſt, ut, quæ prædicta fuerint, nō omnino eueniant? Si autē falſa ſunt, quæ in ſomnijs uidentur, cur ei inuidetis, qui ſomnijs decipitur? Nunc autē admirabili dei prouidentia, & diſpenſatione, quod ab eis ſapienter factū uidebatur: id eſt totū penitus ſubuerſū. Per quæ enim, ſe, quæ prædicta fuerāt, impedire poſſe putabant, ijs ad eorū euentū uiam muniſſe apertiſſimè uiſi ſunt. Niſi enim uenditus fuiſſet, in Aegiptum non ueniſſet, nō ſua tēperantia in libidinoſæ mulieris inſidias incidiſſet, non in carcerē coniectus eſſet, nō Pharaonis

nis miniſtris familiaris fuiſſet, nō ſomnia conieciſſet, unde & Aegipti adminiſtrationē ſuſcepit, & propter frumēti inopiam à fratribus ſuis, qui ad eū uenerant, eſt adoratus. Iam uerò animum tuum ad maximam, & quæ in maximis uerſata eſt, inuidiā conuerte, quæ à Iudæorū furore aduerſus noſtrū ſeruatorē erupit. Cur ei inuidebatur? Propter miracula. Cuiuſmodi autē erant miracula? Salus indigentium. Alebantur eſurientes: et qui alebat, oppugnabatur. Excitabantur mortui, & qui ad uitā reuocauerat, ei inuidebatur. Dæmones eijciebantur, & qui imperabat, ei inſidiæ parabantur. Leproſi mundabantur, & claudi ambulabant, ſurdi audiebant, et cæci uidebant. Qui autē ijs beneficijs affecerat, ipſe fugabatur. Poſtremò autē eum morti dederunt, qui uitā eis erat largitus, & flagellis cecîderunt, qui hominū liberator erat, & eum condemnauerūt, qui mundi iudex erat. Sic ad omnes peruaſerunt inuidiæ mala, & ijs ſolis armis, à mundi creatione ad æui conſummationē incipiens, omnes uulnerat, & deijcit uitæ noſtræ corruptor Diabolus, exitio noſtro gaudens, qui cùm ipſe inuidia ceciderit, nos quoq; eodē affectu deijcere, & ſecū attrahere conatur. Sapiens is erat, qui cū inuido ne ſimul quidē prandere permittebat, de totius ſimul uitæ familiaritate, et conſuetudine ſic diſſerens. Quemadmodū eam, quæ facilè accenditur, materaim curæ nobis eſt quam longiſſimè ab igne accendere: ita quantum fieri poteſt, ab inuidorū conſuetudine amicitias oportet remouere, & extra telorū inuidiæ iactū ſe procul ſtatuere. Neq; enim alia ratione in inuidiæ diſcrimē quis incurrerit, quàm ſi ad inuidū propius acceſſerit, & eo familiariter uſus ſit. Nā, ut

ait Solomon. Homini à familiari ſuo inuidia eſt, & æmulatio. Ita enim res ſe habet. Nõ Aegyptio inuidet Scytha, ſed ei, qui eſt eiuſdem gentis unuſquiſque inuidet, & inter eos quidem, qui ſunt eiuſdem gentis, non ijs, quos nõ nouit inuidet: ſed familiarißimis, & ex familiaribus, uicinis, et eadem arte præditis, & aliquo alio neceßitudinis uinculo coniunctis, & in ijs rurſus, adoleſcẽtibus, cognatis, et fratribus. Et, ut ſemel dicam, quẽadmodum rubigo, frumenti eſt proprius morbus, ita proprium amicitiæ uitiũ inuidia. Illud quidem certè in malo quis laudauerit, quòd quò uehementius excitatũ fuerit, eò plus moleſtiæ poßidenti afferat. Quemadmodum enim tela, quæ magno impetu feruntur, ſi fortè in durũ quid, & quod facilè reſiſtat, inciderint, ad eũ, qui immiſit, reuertuntur: ita et inuidiæ motus, cùm eum, cui inuidetur, nõ lædant, ei quidem, qui inuidet, uulnera infligunt. Quis enim dolore, & triſtitia affectus de proximi bonis quid unquam detraxit? Sed ſeipſum quidem conſumit, curis, & doloribus confectus. Iam uerò, et uenenatis animalibus perniciſiores eſſe, qui inuidia laborant, creduntur. Illa enim ictu quidem uenenũ immittũt, & paulò pòſt, quod demorſum eſt, putredine depaſcitur: inuidos autem nonnulli exiſtimant, uel ſolis oculis, exitiũ immittere, adeò ut et bene habita corpora, et quæ ad florẽ ætatis, & maturum uirtutis robur peruenerint, ab eis inuiſa, & faſcinata liqueſcant, & diffluente ex inuidis oculis, neſcio qua fluxione, quæ deperdit, & corrumpit, tota ſimul abſumantur. Ego uerò hæc, quæ de ijs dicuntur, ut uulgaria, & ab aniculis in gynecæum introducta repello, & reijcio. hoc autem dico, quòd qui bonos, &, quæ bona

ſunt

ſunt, odio habent, dæmones, poſtquàm uitæ inſtituta ſibi ſimilia inuenerint, ijs ad ea, quæ ipſi facere uoluerint, abutuntur: adeò, ut & inuidorum oculis ad propriæ uoluntatis miniſterium utantur. Et tu non horreſcis, cùm perniciofi dæmonis te miniſtrum conſtituis? Sed malum quidem admittis, quo eorum, qui te nulla iniuria affecerunt, inimicus redderis, & Dei optimi, & ab omni inuidia alieni hoſtis. Fugiamus malum non ferēdum: eſt ſerpentis documentum: dæmonum inuentum, ab inimico ſata zizania, ſupplicij arra, pietatis mora, uia ad gehennam, regni priuatio. Sunt autem ipſo uultu, & ipſa oris figura ſatis aperti inuidi. Iis eſt aridus, & obſcuratus oculus: gena triſtis: contractum, & corrugatum ſupercilium: animus affectu perturbatus, qui exactum ueritatis iudiciū in rebus habere non poteſt. Non eſt apud eos ulla ſecundum uirtutem actio laudabilis: non dicendi facultas ſententiarū grauitate, uel uerborum uenuſtate ornata: non deniq; eorum aliquid, quæ beata exiſtimantur, & maximè ſuſpiciuntur. Quemadmodum autem uultures ad ea, quæ ſunt olida, & fœtida feruntur, multa amœna, et ſuauiſſimè redolentia loca præteruolantes: & muſcæ, quod ſanum eſt, prætercurrunt, ad ulcus autē properāt. Ita & inuidi uitæ quidem ſplendorem, & rerū geſtarum magnitudinem ne aſpiciunt quidem: putria autem, & corrupta inuadunt. Quòd ſi uſpiam errare, & labi (ut ſunt humana) cōtigerit, hoc in uulgus proferunt, & ex ijs populo cognitos, et inſignes eſſe uolunt: quemadmodum mali pictores ab inuerſa nare, aut cicatrice, aut tubere, quod uel natura, uel caſu aliquo ei contigit, eorum, quos pingunt, effigies deſignantes,

gnantes. Sunt autem periti artifices, ut rebus in deterius uerſis, quod laudabile eſt, auerſentur, et ex uitij uicinitate uirtutem calumnientur. Virum fortem, temerariũ dicunt: nullo ſenſu præditum, continentem: iuſtum, immanem: uaſrum, & improbum, prudentem: & magnificum quidem hominem, ut ſordidis artibus deditum: liberalem autẽ, ut prodigum criminantur: & rurſus frugi hominem, parcũ, & auarum appellant: omnes deniq; uirtutis ſpecies apud eos nominibus non carent, ab oppoſitis uirtutibus uitijs translatis. Quid igitur? in media neaccuſatione orationẽ ſiſtemus? Sed hæc quidem tanq̃ media medicinæ pars eſt. Laborãti enim morbi magnitudinẽ oſtendere, ut ſui, quam par eſt, morbi ei curã afferat, nõ eſt inutile: ibi autẽ ſubſiſtere, & non ad ſanitatẽ ueluti manu deducere, nihil aliud eſt, quàm laborantẽ graui ægritudini traditũ permittere. Quid ergo? quî fieri poteſt, ne uel à principio in morbum incidamus: uel ut ab eo oppreſſi ex eo euadamus? Si primùm nihil magnum, nihil præclarum rerum humanarum exiſtimauerimus: non opes, non gloriam, non bonam corporis habitudinem. Neq; enim in rebus fluxis, & momentaneis bonum eſſe ſtatuimus: ſed ut æternarũ, & uerarũ rerũ eſſemus participes, euocati ſumus. Quare qui diues eſt, non propter diuitias beatus exiſtimandus eſt: non, qui magiſtratũ gerit, propter molem imperij: non fortis propter robur corporis: non ſapiens propter rationem, & dicendi facultatem. Iis enim, qui rectè utuntur, hæc ſunt inſtrumenta uirtutis: in ſeipſis autem felicitatẽ non cõtinet. Qui itaque ijs malè utitur, eſt miſerandus, ut, qui enſem, quem aduerſus hoſtem ceperat, eo ſeipſum ſua ſponte uulnerat:

uulnerat: ſi autem honeſtè, & recta ratione adminiſtrat, &, quæ à Deo ei data ſunt, diſpenſat, & non in proprium commodum, & uoluptatem collocat, dignus eſt, qui & laudetur, & ametur propter mores, qui fratrum utilitati, & hominum ſocietati ſtudeant. Rurſus ſapientia excellit aliquis: & propter Dei ſermonem eſt honoratus: & eſt eximius ſacræ ſcripturæ interpres, ne tali unquam homini inuideris: neque ſacri eloquij interpretem ſilere unquam uolueris. In gratia ſpiritus, exceptio quædam, & laus ab audientibus ſequitur. Tuum enim eſt bonum, & ad te per fratrem miſſum ſacræ doctrinæ donum, ſi uelis admittere. Porrò ſcaturientem quidem fontem nemo obturat: nec lucente Sole quis oculos operit: neque eis inuidet: ſed ſibi, quòd eis frui liceat, gratulatur. Cùm autem ſpiritalis ſermo in eccleſia ſcaturiat, & cor pium ex gratuitis ſpiritus donis ſe exerat, non cum gaudio, quæ audis, excipis? non grato animo utilitatem admittis? Sed te mordet, & angit audientium plauſus? & uelles neque eſſe, qui iuuaretur, nec rurſus, qui laudaret? Cuiuſmodi defenſionem habebunt hæc ſub cordium noſtrorum iudice? Animæ quidem bonum, natura bonum eſt exiſtimandum: ſed eum, qui diuitijs excellit, & qui uel propter dominatum, uel propter bonum corporis habitũ magnos ſpiritus gerit, ſi ijs quidem, quæ habet rectè, utatur, diligere, & cõplecti oportet, ut qui communia uitæ inſtrumenta poßideat, ſi quidem ea honeſtè, & recta ratione diſpenſet, ut qui pecuniæ largitione egenis ſæpe ſuccurrat, ægrotantibus corpore inſeruiat, oẽs, quas habet, facultates, et copias non magis ſuas,

quàm cuiuſuis egenorum eſſe ducat. Qui autem non ſic eſt affectus, is potius miſer eſt exiſtimã dus, quàm cui inuidea tur, dignus: ſiquidem, ut malus ſit, plures, & maiores oca ſiones habet. Ex eo enim hoc illi contingit, ut maiore ap paratu, & negotio pereat. Si enim ad improbitatem uia= ticum ſunt diuitiæ, miſerabilis eſt diues. Si autem uirtuti ſubſeruiunt, non eſt locus inuidiæ, cùm ſit commune ex eis commodum omnibus propoſitum, niſi tanta ſit cuiuſquam improbitas, ut ſua etiã ſibi bona inuideat. Vt paucis itaq; totam rem complectar, ſi res humanas cogitatione præ= teruecharis: id autem, quod uerè eſt honeſtum, et laudabile contempleris, longè aberit, ut in rebus terrenis, & corru= ptibilibus felicitatem colloces. Qui autem ita eſt affectus, fieri non poteſt, ut cuiquam inuideat. Quòd ſi tu omni ra tione gloriã expetis, et multos uis excellere, et propterea ferre non potes te cuiquam eſſe ſecundum (hoc enim ad inuidiam plurimum ſolet impellere) tu uerò tuam gloriæ cupiditatẽ, tanquam fluentũ aliquod ad uirtutem cõuerte. Neque quauis ratione uelis diteſcere, neq; ex rebus huius mũndi tibi gloriã cõparare (neq; enim hæc in te ſita ſunt) ſed ſis iuſtus, moderatus, & prudens, & in afflictionibus pro pietate ſuſtinendis fortis, & patiens. Sic enim & te= ipſum ſeruabis, & in maioribus bonis longè maiorem glo= riam aſſequêris. Virtus enim in nobis eſt, & ab homine ſtu dioſo, et induſtrio acquiri poteſt. Diuitiarũ autem copia, et corporis forma, et imperij, et magiſtratuum moles in nobis ſita non eſt. Si itaq; & maius bonum eſt uirtus, & magis ſufficiens, & quæ uno ore ab omnibus præfertur, ea nos perſequi oportet, quæ fieri non poteſt, ut inſit animæ,

non

non cum ab omnibus affectibus, tum ab inuidia quoq; expurgatæ. Non uides, quantum malum eſt hypocriſis? At ea eſt fructus inuidiæ. Ex inuidia enim imprimis proficiſcitur, ut quis moribus duplex efficiatur, quando odium in profundo celantes, charitate illitam ſuperficiẽ oſtendunt, non ſecus, ac petræ marinæ, quæ exigua aqua tectæ, inopinatum malum ijs, qui non cauent, fiunt. Si itaq; ex eo mors nobis tanquam ex aliquo fonte manauit, bonorum priuatio, à Deo alienatio, legum, & præceptorum, & omnium, quæ in uita ſunt, bonorum confuſio, Apoſtolo credamus, et ne inani gloria laboremus, nos inuicem prouocantes, non mutuò inuidentes, ſed potius benigni, faciles, et commodi, nobis inuicem gratificantes, ut Deus nobis gratificatus eſt in Chriſto IESV *domino noſtro, Gloria patri cum Sancto Spiritu in ſecula ſeculorum. Amen.*

FINIS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOLETVS

Durior eſt ſpectatæ uirtutis,
quàm incognitæ,
conditio.

SOPHOCLIS ANTIGONE TRAGOEDIA A' GENTIANO HERVETO AVRELIO TRADUCTA È GRÆCO IN LATINUM.

*

Eiuſdem Herueti Epigrammata.

SCABRA, ET IMPOLITA AD AMVSSIM DOLO, ATQVE PERPOLIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI
Apud Steph. Doletum.
1541.

GENTIANVS HERVETVS IOANNI TVRNONI DECANO NOZERENSI S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD coniungendam amicitiã non eſſe literis uel aptius, uel firmius uinculum cùm mihi iampridem perſuaſiſſem, id certè nunquàm re ipſa melius animaduerti, quàm cũ proximè in Reuerendiſsimi Cardinalis Gebennenſis comitatu, in Flandriam unà iter iniuimus. Qui cùm me antea ne de facie quidem noſſes, propter neſcio quam, quam de nonnulla mea doctrina conceperas opinionem, ita es repentè complexus, ut uehementer amares. Quod quidem plurimis & apertiſsimis ſignis ſæpe mihi declaraſti. Ac noſtram quidem amicitiam hac ratione initam confirmauit, & mirandum in modum auxit perpetua noſtra eo toto tempore uitæ conſuetudo. Qua, diſpeream, ſi quid mihi unquam obtigit dulcius. Quid enim iucundius ijs eſſe poteſt, qui muſarum myſterijs ſunt initiati, quàm in uaria cum Latinorum, tum Græcorum, qui elegãtiſsimè ſcripſerunt Autorum lectione uerſari? Hanc itaque noſtram amicitiam ut perpetuam, atque adeò immortalem futurã mihi promitto, ita omnibus hominibus cognitam eſſe cupio. Quod quidem me commouit, ut, cùm Antigonem Sophoclis tragœdiam ego Aureliæ Latinam feciſſem, et ut ea in lucem

 edere

ederetur, nonnulli à me uehementer cõtenderent, eam ego tanquam certum perpetuæ noſtræ amicitiæ pignus, & uerum omnibus teſtimonium ad te mittere uoluerim, & tuo nomini dedicatam in uulgus exire iuſſerim. Quod quidẽ munus eo tibi longè erit gratius, ſi apud te cogitaueris, quantis conſtet laboribus Latina è Græco uerſio. Eſt certè lõgè difficillimum è bene Græcis bene Latina reddere: ſed nihil eſt difficilius, quàm cũ eſt è Græcis tragicis uertendum. Id olim feliciſſimè in duabus Euripidis tragœdijs præſtitit Eraſmus. Sed quis tãti uiri ueſtigia ſequi ſe poſſe ſperet, nedum aſſequi? Ego quidem in linguæ Græcæ ſtudioſorũ gratiam, quod potui, feci. Quibus ſi Græca cum Latinis conferre uoluerint, non ingratum meum laborem futurum non dubito. Huius tamen lectores admonitos uolo, me in choris uertendis nullam penitus carminis rationem habuiſſe, & ſatis me facturum putaſſe, ſi in his, quæ nec multùm conferunt, & à ſcriptore de induſtria obſcurata ſunt, ſenſum utcunque exprimerem. In reliquis autẽ ut carmine ſententiam exprimerem, ſedulò conatum eſſe: ſed non ubique tamen id efficere potuiſſe. Sed quomodocunq; ſit, & linguæ Græcæ candidatis, & ijs, qui Græcè neſciunt, operæpretium me facturum putaui, ſi, quæ eſt omnium Sophoclis tragœdiarum elegantiſſima, Latinè utcunque reddatur. Tragœdiæ autem, quæ eſt humanarũ calamitatum quoddam ueluti ſpeculum, eò eſt hoc tempore iucundior lectio, quòd his iam uiginti annis tot tumultus ſunt excitati, ut perpetua quædam tragœdia iure uideri poſſit. Tibi autem in primis, quem niſi perpetua uitæ innocẽtia texiſſet, flammam inuidiæ per ſummum ſcelus

lus à maleuolis in te cōcitatæ euadere nō potuiſſes. Quod ut ſuſtinendo ualde tibi fuit moleſtum, ita turpiſsimæ calumniæ notatis aduerſarijs longè eſt honorificentiſsimum. Sed age, uideamus in noſtro Sophocle, quā ſit iucundius tragœdiam legere, quàm tragœdiæ argumentū eſſe. Vale. Arboſij Pridie Calen. Decembris.

1540.

ANTIGONES SOPHOCLIS ARGVMENTVM.

*

POLYNICES Oedipi filius cũ magnas apud Argiuos copias compaſſet, Thebas obſediſſet, & muros (urbem oppugnãs) aſcendiſſet, cum fratre Eteocle congreſſus pugnã miſit. In qua uterque eorum mutuis utrimque uulneribus cõfoſſus, mortem obijt. Creon autẽ, qui eo tempore Thebanorũ Rempublicam adminiſtrabat, cùm ab utroque eorum obitam mortem reſciuiſſet, Eteoclem quidem honorificè ſepeliri, Polynicem autem canibus deuorandum proijci iußit. Simul etiam, quicunque ſepelire auſus eſſet, ei mortem ſtatuit. Antigone utriuſq; ſoror cùm Iſmenæ ſorori ſuæ perſuadere non potuiſſet, ut ſibi opem ferret, contempto regis ſtatuto, ſola deceptis cuſtodibus eum noctu ſepelit. Ex cuſtodibus autem unus cùm id Creonti renunciaſſet, Creon ſepulturæ autorẽ inquiri iubet, ſepulcrũ cadaueri à puella ingeſtum ab eis diſijcitur, & in eo ſeruando maior, quàm prius, ab eis diligentia adhibetur. Cùm autem Antigone ad fratris à ſe ſtructum ſepulchrum acceßiſſet, & nudum cadauer offendiſſet, in fletus, et muliebres eiulatus prorumpens, à cuſtodibus capitur, & ad Creontem deducitur. A quo grauißima ira percito, ut in uacuo buſto poſita conſumatur media, ſententia ſua damnatur.

A qua

A' qua quidē ſententia Hæmō Creontis filius, cui deſponſa Antigone fuerat, eum fruſtra abducere conatur. Qui & fruſtra à Teireſia Thebano uate, qui, quæ futura erāt, prædixit omnia, admonetur. Sed ipſe poſteà, ſed ſerò mutato conſilio, cùm ad liberandam Antigonem pergeret, Antigonem quidem uitam laqueo finiſſe reperit. Hæmonē autem filium propè adſtantem, quò minus ſibi mortem ferro cōſciſceret, deterrere non potuit. Hæc cùm Eurydicæ Creontis uxori renūciata eſſent, cubiculum ingreſſa, ſeipſam peremit. Ob tot, & tam graues caſus miſerrimè perturbatus Creon, in miſerabiles lachrymas, & querelas erumpit.

TRAGOEDIAE INTERLOCVTO-RES.

*

ANTIGONE	*Puella*
ISMENE	*Puella*
CHORVS	*Thebanorum Senum*
CREON.	*Rex*
NVNCIVS	*Cuſtos cadaueris Polynicis*
HAEMON	*Adoleſcens*
TEIRESIAS	*Vates*
NVNCIVS	*Mortis renunciator*
EVRYDICE	*Creontis uxor.*
FAMVLVS	*Creontis*

SOPHOCLIS ANTIGONE TRAGOEDIA A' GENTIANO HERVETO AVrelio traducta è Græco in Latinum.

*

ANTIGONE.

GErmana ò Iſmene mihi charum caput,
An quid mali noſtin' malis ex Oedipi,
Quod non facit uiuis nunc nobis Iuppiter?
Nam nec moleſtum, nec graue eſt, nec aſperum,
Nec turpe quicquam, nec plenum probri,
Quod non tuis uides, in meisq; ego malis.
At nunc quid hoc eſt, Imperatorem ferunt
Creontem in urbe quod iubere celebri?
An ſcis, & audiſti? adhuc an te latent
Ventura amicis, debita hoſtibus mala?
ISM. Ad me de amicis fama non, Antigone,
Vel grata, uel moleſta uenit ex eo,
Ambæ duobus fratribus quo orbæ ſumus.
Vno die cæſis, manu ſed duplici.
Sed cùm receſsit hinc Argiuorum manus
Hac nocte, quicquam neſcio, quod accidat,
Quod miſeram reddat magis, uel me beet.
ANT. Rectè ſciebam: te, domusq; extra fores

 Emiſi,

Emiſi, ut à me, quid ſit, audias ſoror.

ISM. Quid eſt? reuoluenti arduum es quid ſimilis.

ANT. An non humari fratribus noſtris Creon
Huic ſplendidè ſancit: ſed huic prorſus negat?
Nempe Etheoclem lege, iureq́;, ut ferunt,
Tellure texit, tumuliq́; debito
Honore grato decorauit inferis.
At mortui corpus eheu Polynicis
Ciuibus edicto uetuiſſe ferunt,
Lugere eum audeat ne quis: ſed nec humi
Mandare. At illuctum, inhumatumq́; ſinant
Prædam feris cibos gratos uolucribus,
Hunc quæ tuentur, lætæ mox ut deuorent.
Bonum Creontem eiuſmodi tibi ferunt
Imò (ſimul me dico) iuſsiſſe & mihi,
Atque huc uenire, ut ijs, qui neſciunt,
Edicat apertè: atque eò res redeat,
Non ut leuis pœna ſit: quicunq; at fecerit
Quicquam ex eis, mors ſit ei propoſita,
Saxis uibratis populus omnis quam feret.
Sic res habent, & re tu nunc oſtenderis,
An generoſa es, an à bonis degeneras.

ISM. Quid ò miſella, ſi rerum hic ſtatus ſiet,
Soluens, humo'ue contegens promouerim?

ANT. An collaborabis, feresq́; opem, uide.

ISM. Quis eſt tuus conatus, & mens quæ tua?

ANT. Hac non leuabis tu cadauer cum manu?

ISM. Eum tu humabis, ab urbe qui eſt probibitus?

ANT. Meum, ac tuum fratrem, nolis ipſa licet,

Eum

Eum reliquiſſe haud ego reperiar.
ISM. O miſera, hoc ages, hoc cùm uetet Creon?
ANT. At me à meis eius non arcere intereſt.
ISM. Hei mihi cogita ſoror, nobis pater,
Quàm inuiſus, exoſus, probroſus perijt.
A' ſe reperta crimina propter ſua,
Vtrumque lumen qui manu euulſit ſibi.
Mater eius, uxorq́; ſimul, duplex dolor,
Se ſuffocans uitæ extremum clauſit diem.
At tertiò fratres noſtri eodem die,
Mortem ferentes uterque alter alteri
Heus conciderunt mutuis uulneribus!
Ambæ relictæ nos ſumus ſolæ: uide
Quantò perituras eſt magis credibile
Iuſſu, & ſuperba ſi potentia Regis
Ipſæ neglecta, haud pareamus legibus.
Hoc etiam nos habere animis ſoror decet:
Cùm fœminæ ſimus, pugnare nos uiris
Non poſſe: deinde noſtra cùm principia
Sat fuerint pulchra, beataq́; ſatis,
Audire nos hæc, & his peiora decet.
Ergo petita à dijs miſeris uenia:
Quicquid in hac re fit, coacta quòd trahor,
Ego magiſtratibus audiam tamen.
Vires ſupra quid aggredi, haud prudentis eſt.
ANT. Nec tibi mandarim, uelis nec ſi ipſa adhuc,
Mecum ex mea iam feceris ſententia.
Quicquid tibi ſed uideatur, hunc ego,
Scias, humi mandabo: id ubi fecero

Pulchrum,

Pulchrum, & honeſtum iam mihi duco mori.
Dilecta dilecto adiacebo ego ſimul
Iuſtis peractis: longius nam tempus eſt,
Quo me uiris placere par eſt inferis,
Auras quàm eis carpunt adhuc qui ſuperas.
Illic enim ſemper iacebo. tu ſi, tibi
Viſum eſt ita, deorum honores neglige.

ISM. *Non ego honores negligo, ſed ciuibus*
Contrarium quid facere haud noſtræ eſt opis.

ANT. *Hæc tu quidem prætexas: at iam tumulum*
Pergam excitatura fratri chariſſimo.

ISM. *Eheu tibi quantum timeſco miseræ!*

ANT. *Ne mi time: uitæ ſed prouide tuæ.*

ISM. *Hoc ſed opus nulli uide ne dixeris:*
Sepelias fac clàm: hoc ego celauero.

ANT. *Hei mihi prædica: mihi nam infeſtior,*
Si taceas, eris: palàm id nuntia.

ISM. *In frigidis pectus habes ardens nimis.*

ANT. *Nempe placere eis, quibus eſt opus, ſcio.*

ISM. *Si modò poſſis: ardua at nimis cupis.*

ANT. *Deerunt ubi uires mihi, tunc deſinam.*

ISM. *Nimiùm ſed ardua haud primùm ſequi decet.*

ANT. *Si dicis hæc, fueris & exoſa mihi,*
Infeſta iure credêriſq; mortuo.
Sed me ſinas, audax meum & conſilium
Pati hoc acerbi: nil tantum nanque feram,
Honeſta quin mihi futura mors ſiet.
Sed ſi uidetur, uade: at hoc ſcias uelim,
Non ſapiens uadis, amica ſed tuis.

CHORVS. *Solaris ò radie, lux qui*
Septiportis pulcherrima
Thebis priorum
Illuxiſti, ò aurei
Dici cilium
Dircæa ſuper
Veniens fluenta!
Argolicum uirum
Albis ornatum clypeis
Profugum, procurrentem celeri
Freno qui impuliſti.
In noſtro quem sŏlo Polynices
Motus ancipiti controuerſia,
Tanquam aquila
In terram acutùm clangens
Super uolabat
Albæ niuis conſtipatus ala.
Multis cum armis,
Cum criſtatisq́; galeis.
Altas autem ædes ſtans ſuper,
Lætiferis undique lanceis
Circumquaque inhians hoſtijs
Septem, receſſit hinc prius,
Cruore quàm genæ
Noſtro implerentur,
Coronam & turrium
Deleret noſtram piceus
Vulcanus. Talis ſtrepitus
Bellicus circa aduerſarij

Fiunt

Fuit tergum draconis.
Magniloquæ nempe faſtus
Linguæ deus odit:eosq́; uidens,
Ingenti cùm fluento irruerent
Auri,tumultus,& ſuperbiæ,
Librato igne exturbat pinaclis
Murorum iam iam
Clamaturum uictoriam.
Inq́; sǒlum aduerſum cecĭdit deuolutus
Ignifer,qui tunc inſano cum impetu
Debacchans ſpirabat
Infeſtorum ad inſtar flaminum:
Et nunc huc,
Nunc illuc,& nunc aliò
Sternens obibat,& fugans
Magnus bellipotens Mars.
Nam præfecti ſeptem ſeptem in ianuis
Obiecti pares paribus,ſpolia
Depulſori Ioui reliquêre aurea:
Duos præter miſeros,qui patre
Vno,ac matre nati,in ſeipſos
Geminas haſtas ambo tenuere,
Communis & mortis partem habuere.
Verùm perquàm inſignis uenit uictoria
Currupotentibus gratificata Thebis.
Horum at bellorum nunc ſit obliuio.
Deûm autem ædes choris nocturnis
Omnes frequentemus:ac Thebarum
Terram quatiens bacchicus inchoët.

Hic ſed

Hic ſed huius recens urbis rex adeſt
Creon Mœnecei, ad recentes
Iſtos deorum, & ſubitos ualde caſus
Conſilium aliquod agitans:
Nempe hoc concilium conuocauit
Hominum ſenum
Præconis uoce accerſitum.

CRE. *Vrbis, Viri, res iterum in tuto Dei*
Multo agitatas erexere turbine.
Ac uos ego undiq; accitos huc nuncijs
Iuſsi uenire, cùm thronum, quòd Laij
Vos ſemper, ut par eſt, honoraſſe ſciam,
Tum quòd ubi rurſum Oedipus erectus eſt,
Deim mortuus, uos in eorum liberos
Perpetua, ac firma remanſiſtis fide.
Vno at die poſtquàm occidêre duplici
Fato ferientes, impieq; icti inuicem,
Imperium integrum, thronumq; teneo,
Sum mortuis ego genere quòd proximus,
Nunquàm poteſt cuiuſquam at intelligier
Ingenium, mens, ſpiritus, ſententia
Imperijs priuſquam, & legibus diu
Exercitus ſit. Nam mihi qui urbem regit,
Nec optimis mentem adijcit conſilijs,
Linguam timore & impeditam continet,
Eſt uiſus ille mihi ſemper peſsimus.
Et patria amicum ſua quiſquis facit
Pluris, ego non huius illum facio.
Ego, ſciat Iuppiter omnia uidens,

Nec reticebo, incommodi fortè aliquid
Si ueniens uidero ciuibus meis:
Hoſtis ſuæ ſiet quicunque & patriæ,
Priuatim amicus haud erit: ut qui ſciam
Hanc eſſe, quæ ſeruet, eáq; ſi probè
Nos nauigemus, ſat amicorum fore.
Talibus hanc legibus auctdurus ego
Vrbem, atque eis probè conuenientia
Ciuibus edico Oedipi de liberis:
Eteoclem quidem, pro patria qui fortiter
Occubuit, congrediens haſta hoſtibus,
Hunc tumulo mandarierq́;, humo & tegi
Totum id, quod optimos uenit ad inferos.
Germanum at huius, dico ego Polynicem,
Qui patriam ſimul ſuam, atque patrios
Deos, domum reuerſus ex exilio,
Funditus igne nixus eſt exurere,
Atque hos cruento miſeros occîdere
Ferro, procul captos, & hos abducere,
Iuſſum eſt ei, quiſquam ne uel inferias
Præbere, mortuis uel auſit ſolitas
Exequias: lugere ſed nec audeat:
Mittat at inſepultum, humi non creditum
A` canibus corpus, ferisq; uolucribus
Dilaniatum miſerè uorarier.
Talis mea eſt ſententia, & nunquàm mali
Honorem habebunt iure debitum bonis.
Aſt huic amicus urbi quicunque ſiet,
Mortuus, & uiuus is ex æquo honorabitur.

CH. *Tibi hoc uidetur, imperator ò Creon,*
Vrbi alterum eſſe hoſtem, amicum aſt alterum.
Legibus tibi utier omnibus Creon licet
In mortuos, et qui ſuperſtites ſumus.
CR. *Quæ dicimus uobis, rogo curæ ſient.*
CH. *Hoc ſed ferendum iuniori ſtatue.*
CR. *Sed mortui ſunt uigiles cadaueris.*
CH. *Sed quid adhuc cuiquam rogo mandaueris?*
CR. *Vt non ſinatis, morem eos qui non gerunt.*
CH. *Tam ſtultus haud eſt quis, mori qui cupiat.*
CR. *Hoc præmium eſt propoſitum: at ſepe accĭdit,*
Vt plurimos lucrum homines præcipitet.
NVN. *O Rex, ueloci quòd pede huc moui gradum,*
Ex ilibus meum traho uix ſpiritum.
Multæ obiter meum appræhendêre animum
Curæ, reuoluo dum futurum reditum.
Nam multa mens mihi loquebatur mea.
Ibis miſer, pœnas ubi dabis graues?
Miſer, manebis? audiet porrò Creon
Ex alio, quî non ſiet tibi malè?
Iſthæc reuoluens celeri haud ibam gradu:
Et ſic breuis, quæ erat prolixa, fit uia.
Tandem ut uenirem ad te, ſtetit ſententia.
Porrò licet dicam nihil, dicam tamen.
Nempe hac ego iam ueniens ſpe teneor,
Fato quod haud fiat, nihil fore, ut feram.
CRE. *At dic, quid eſt, animi te habet quod anxium?*
NVN. *De me hoc tibi primùm uolo prædicere:*
Id nec ego feci, nec, id quis fecerit,

Scio: in malum nec iure quòd incidero.

CRE. Et conijcis pulchrè, rei & pulchrè aditus
Munis. noui uelle quid afferre indicas.

NNN. Rei mihi pondus metum magnum inijcit.

CRE. Dices: ubi ſed dixeris, liberabi.

NVN. Atqui tibi dico: cadauer mortuum
Nuper humo mandauit quis, & puluerem
Iniecit in corpus: easq́; excquias,
Quis mortuo par eſt, dedit quis corpori.

CRE. Hem quid ais? iſthuc quis auſus homo?

NVN. Hoc neſcio: nullum neque ſecuris ibi
Prorſus erat uulnus: ulla nec ullius
Proſciſsio ligonis: at ſubacta erat,
Nec trita terra, aut leuibus uſquam rotis.
Contuſa: nec ſcitur, ſi & quis artifex.
Primus diei ſpeculator ſed ubi
Oſtendit omnibus, ſtupor ingens uenit.
Nam motum erat nihil: erat ſed nonnihil
Terræ ſuprà, quæ tumulo haud congrueret
Iniecta, ſed tanquàm ab eo, qui fugeret
Piaculum: nec ullius ſignum feræ
Vllum, canis'ue, qui aut eò peruenerit,
Aut traxeriti uiſum eſt: ſuſurrabant ſtatim,
Sed improbi inuicem rumores hominum,
Et arguebant ſe inuicem, quibus erat
Mandata cura mortui cadaueris.
Quòd ſi rediiſſet fortè res ad uerbera,
Ex omnibus non, qui uetaret, aderat.
Namq; ut fuiſſet aliquis, qui hoc fecerat.

Nemo ſciebat attamen, quis fuerat,
Eramus autem iam parati manibus,
Et tollere in altum igneos ferri globos,
Et percurrere ignes, ac deos teſtarier,
Feciſſe nec illud, neque id cognoſcere,
Conſilium quis dederit, aut quis fecerit.
Tandem iuuaret cum nihil perquirere,
Dicit quis ex nobis, timore qui caput
Omnes humi inclinare adegit nos ſimul.
Nam nec repugnare, bonum'ue an foret
Factu, ſciebamus: ſed eius hæc erat
Oratio, quòd deferendum eſſet tibi,
Nec amplius tacendum: at hæc ſententia
Vicit: miſello ſors mihi ſed obtigit.
Eis ita, qui lubenter haud exaudiunt,
Huc pœnitus accedo, ſatis namque ſcio,
Nullus malarum rerum amat quòd nuncium.
O rex apud me cogito, diuinitus
Hoc potuit num forſitan contingere.
CRE. Ceſſa, priusquàm me tuis commoueas
Verbis ad iram: ſtultus, & ſenex ſimul
Ne uideare: nam ferenda neutiquam
Dicis, deos qui mortui cadaueris
Huiuſce curam ullam agere auſis dicere.
Eum'ne honorantes pium tanquam uirum,
Ex oculis procul mouere mortuum,
Aedes ſacras uenit daturus qui ignibus,
Templis erat quicquid ſacratum & munerum,
Volens eorum iura, agrosq; euertere?

Deos honorantes uides ne unquàm malos?
Non ſic habet res: urbis at pridem incolæ,
Egrè ferentes conſuſurrarunt malè,
Caputq́; clàm unà conferentes, nec iugo
Criſtas remiſerunt, mihi ut obediant.
Ab ijs ego pulchrè ſatis intelligo
Mercede perpulſos, ut hæc perficerent.
Nullum eſt, ac argentum, numiſma hominibus
Pernicioſum æquè: hoc urbes & diruit,
Atq; homines pellit ſuis ex ædibus:
Hoc hominum mentes bonas & inſtruit,
Mutatq́; eas, dirum ad ſcelus ſe ut conferant.
Et uarias fraudes ferant, atq; dolos,
Omniq́; iniquè ſe gerant in opere.
Quæcunq; fecere pretio ſed improbè,
Pœnas graueis fecere quò tandem luant.
Sed ſi potens Iuppiter eſt, meuſq́; honor
Vllus, ſcias iſtud (tibi nam per ſacra
Iuro) niſi qui hoc fecit, inueneritis,
Atq; oculis inuentum ſubieceritis,
Non tulerit ſolus Pluto uobis opem,
Penſi prius uiui ſcelus quàm dixeritis.
Lucrum ut ſciatis unde ferendum ſiet.
Capite uerò porrò, ac intelligite.
Quòd quauis ex re haud utile eſt lucrarier.
Nam turpibus lucris uidere quis poteſt
Plures, malum qui ceperint, quàm commodum.
NVN. *Nunquid dabis, quod dicam, uel rurſum abeam?*
CRE. *Et nunc moleſtum quàm mi dicas, haud uides?*

anne

NVN. *An'nc auribus tuis ægrè eſt, an animo?*
CRE. *At tu dolorem conijcis ubi meum?*
NVN. *Excruciat mentem autor: aſt aures ego.*
CRE. *Hei mihi natura es creatus quàm loquax!*
NVN. *Hoc ſed ego nunquàm ſcelus feci tamen.*
CRE. *Imò pecunia animum abiecisti tuum.*
NVN. *Ah quàm graue eſt mendacem uel uiderier!*
CRE. *Nunc tu quidem tuam iactes ſententiam.*
Sed hoc niſi indicaritis, qui fecerint,
Quæri lucro dolores, haud negabitis.
NVN. *Inueniatur, ſi potis eſt, maximè,*
Sed ſiue hic captus ſiet, uel non ſiet,
(Nempe hoc ſitum eſt in uariæ Sortis manu)
Huc redeuntem me amplius non uideris,
Præter meam ſpem ſaluus, & ſententiam
Magnas ego Deis meritò ago gratias.
CHO. *Ingenioſa multa: ſed*
Nihil acutius uiro.
Hic & maris ultra câni
Currit fluenta, madidis
Alis uolans Noti, deûmq; ſupremam tellurem
Integram, perpetuam,
Excolit, rigidis feriens aratris,
Annuis equorum laboribus ſubigens.
Et præpetum genus
Volucrum implicans capit,
Sæuas ferarumq; gentes,
Mariſq; æquoreum genus
Connexis laqueûm giris

Ingenioſus homo.
Ingenij uincit is arte
Montigradamq́; feram,
Hiſpidoq́; æquum collo iuga adigit ferre,
Indomitumq́; taurum.
Sermonis uſum, celeremq́;
Animi uim, grauesq́; ciuium
Lites edocuit, atq; horrida
Iouis frigora, &
Pluuia uitare tela. Qui nihil non poteſt,
Impotens is ad nihil redit.
Futurum eſt ſolùm, quod inferis
Is fugere nequeat:
Cuiuſuis at morbi fugam
Intelligat.
Vafer is, atque callidus
Arteis præter ſpem habens,
Nunc ad malum, ſed nunc ad bonum uergit,
Reuellens leges patriæ,
Deûmq́; iuſtitiam, nunc patria
Superbus, nunc inimicus patriæ:
Et honeſtum qui nihili
Facit ob audaciam.
Sed mihi nec familiaris,
Iure nec æqualis ſiet,
Hæc qui facit.
Diuinum ſed prodigium hoc mente reputo.
Videns ego ſed qui contra dixero

Hanc

Hanc non eſſe puellam Antigonem.
O infelix, & infelicis
Patris filia! quid uerò? nunquid
Te repugnantem
Regis huc adducunt legibus,
In ſtultoq́; opere quam deprehenderint?

NVN. Hæc eſt, nefandum quæ peregit hoc opus:
Hanc ſepelientem cepimus. ſed ubi Creon?

CHO. In tempore hic rurſum ædibus greſſum mouet.

CRE. Dic quæſo, quid ſit, iuſta uenit quæ ultio?

NVN. Non temere, o rex, homo quis iurauerit:
Fallit enim mentem, quod cogitat, crebrò.
Namq; ecce ego, qui me redire huc dixeram
Vix poſſe ſæuis territum nuper minis.
Hæc ſed uenit præter ſpem mihi lætitia,
Quæ uincit omnes alias lætitias.
Huc uenio iuratus huc non regredi
Hanc uirginem ducens, ego quam reperi
Tumbam decorantem: haud opus ſorte fuit.
Hoc nam lucrum meum eſt: nec eſt alterius:
Et nunc, o rex, hanc, ut tibi lubet, cape,
Et iudica, & refelle: ſed dignus ego
Nunc ab eis qui liberer porrò malis.

CRE. Captam ſed unde ducis, quo'ne dic modo?

NVN. Hæc hominem ſepeliuit: hoc certo ſcias

CRE. Quæ dicis, an ſcis tu, probeq́; intelligis?

NVN. Vidi inhumantem iuſſeras quem mortuum
Non ſepeliri: clarè an hoc quæſo loquor?

Sed quomodo uiſa, repertaq́; eſt, rogo?

HVM. Res ita geſta eſt. ubi nanque uenimus,
Cùm tu graues in nos minas intenderas,
Terra remota, circum erat quæ mortuum,
Pulchrè repurgatoq́; glebis corpore,
Summis ſedemus montium faſtigijs,
Ex ſe cauentes odorem ne emitteret.
Hic uir uirum crebris ciebat iam probris,
Si quem labore in hoc pigrum conſpicerent.
Hæc tam diu fuere, donec æthere
In medio ſolis ſtetit cùm circulus,
Magnuſq́; erat ualde calor: tunc uehemens
Tollens repentè humo procella fulmina,
Implet agros, totum & ruit campi nemus:
Totus eratq́; aër refertus ignibus:
Clauſiſq́; ocellis hoc malum pertulimus.
Longo hoc receſſit ubi pòſt ſed tempore,
Puella cernitur, quæ ad inſtar auiculæ
Luctus acerbos, & modos quæ flebiles
Fundit, inanem pullis cùm nidum inuenit.
Hæc ſic cadauer reperit cùm mortui,
Tunc omnibus pannis ſpoliatum ſuis,
Ingemuit ualde, diras atque graueis
Iis imprecata eſt, hoc ſcelus qui fecerant:
Et manibus ſtatim aridum fert puluerem.
Ex tinnulo, lebete'que multifluo
Multo coronat mortuum libamine.
Hanc cùm uideremus, illico accedimus:
Atque apprehendimus ſtupefactam nihil:

Et, quæ prius effecerat, & nunc quoque
Obijci nus, negat nihil hæc penitus:
Hoc gaudio ſimul, dolorique fuit:
Mihi malus gratum nam liberarier,
Ingratum amicos in malum peſſundare.
Veruntamen fuere illa mihi mea
Longè ſalute inferiora, prout decet.

CRE. Tu tu, reclinas quæ caput humi tuum,
Hæc'ne fateris, facta uel à te negas?

ANT. Feciſſe dico, ſed neque id negauerim.

CRE. Tibi quidem fas eſt abire, quò lubet,
Cùm ſis graui nunc abſolutus crimine:
Sermone ſed tu nunc expedias breui,
An id ſciebas, uetitum'ne fieret?

ANT. Ego ſciebam: quid ni, clarum cùm foret?

CRE. Tu'ne auſa es illis non parêre legibus?

ANT. Nam non erat Iuppiter, hæc qui fecerat
Edicta: nec conſors deûm iuſtitia,
Rerum infimarum qui grauem curam gerunt,
Ii non dederunt has leges mortalibus.
Edicta non tantùm tua aſt crediderim
Valere oportere, deûm immutabiles,
Datasq; nullis dum literarum typis
Mortalis ut leges auſit tranſgredier.
Non hodie, aut heri, ſed in perpetuum
Viuunt, nec unquàm dicere quiſquam poteſt,
Hæ quando primùm ſunt ab illis conditæ.
Ob has ego cauebo, quantauis ſiet
Autoritas hominis, acerbas pendĕre

Pœnas Deis, me morituram ſciueram.
Quidni? licet uel tu ſtatuiſſes nihil.
Sed ſi ante tempus accidat, ut moriar,
Hoc in lucro maximo ego deputauero.
Nam maximis eſt quiſquis obrutus malis,
Vt nunc ego, morte lucrum quid ni ferat?
Sic & mihi ſtatim necem hanc obtingere
Ducam haud moleſtum: prognatũ ſed ſi mea
Matre relinquam humi non creditum,
Illis dolerem, nec leuarer his malis.
Feciſſe ſed ſtultè tibi ſi exiſtimer,
Sultitiam utiq; ſtulto ſtulta debeo.

CHO. *Quàm facilè oſtendit creatam ſe patre*
Crudo, malis cedere puella quæ nequit!

CRE. *At qui rebelles nimis ſcias hoc, ſpiritus*
Grauius ruunt, & ſæpius duriſſimum,
Atque igne ferrum exaſſatum diu,
Et comminutum, & diſſipatum uideas.
Exiguo freno furenteſq; ſcio
Equos retardatos: neque magnos poteſt
Is ſpiritus gerere, ſuis qui ſeruus eſt.
Atque hæc iniquè cœpit primùm facere,
Trangreſſa cùm leges fuit propoſitas.
Secunda uerò à facto hæc eſt iniuria,
Iis gloriari, & gaudere quæ fecerit.
Iam non ego uir ſum, ſed illa uir eſt,
Hæc uis huic impune diu ſi manſerit.
Sed ſi ſoror, propinqua, uel magis ſiet,
Eius gubernat qui omnes Hercæi Iouis,

Hæc

Hæc & ſoror mortem malam non fugerint.
Namque hanc ego tumuli fuiſſe conſciam
Suſpicor eius ex æquo: ac nunc eam
Vocate: namque illam intus haud ab hinc diu
Vidi furentem, compotem nec ſat ſui.
Prius ſolet nam conſcius prehendier
Animus, tenebris ſunt quæ agitata malè,
Inuiſus eſt is mihi, qui in flagitio
Depræhenſus, illi ſpeciem ferre uelit.

ANT. *An quid petis maius, neci quàm me dare?*
CRE. *Ego quidem nihil: in hoc nempe omnia,*
ANT. *Quid ergo cunctaris? mihi nanque nihil*
Placet eorum, quæ dicis, nec placeat.
Quæ dico, nec ſunt hæc magis grata tibi.
At unde gloriam maiorem ceperim,
Quàm quòd meum germanum humi mandauerim?
Hoc nemo, cui non placeat, mortalium eſt,
Linguam metu ſuam ni fortè comprimat.
Felix tyrannis cùm multis alijs ſiet,
Quæcunque uult, loqui poteſt, & facere:
CRE. *Hæc nunquid ex Cadmeis tu ſola uides?*
ANT. *Atqui uident & ij, tibi os ſed ſublimunt.*
CRE. *Non erubeſcis, quòd ſine ijs quicquam ſapis?*
ANT. *Non turpe fratres eſt honorare ſuos.*
CRE. *An non erat frater, ſimul qui concidit?*
ANT. *Frater eadem matre natus, & patre:*
CRE. *A te quid ergo honor habetur impio?*
ANT. *Non teſtis horum fuerit, eſt qui mortuus.*
CRE. *Ex æquo honoras tu quidem hunc impio.*

Non

ANT. *Non ſeruus hic, ſed frater mortem oppetijt,*
CRE. *In patriam pugnans, ſed is pro patria.*
ANT. *Has ſed uolunt inferi tamen exequias.*
CRE. *Aequum bono, maloq́; præmium haud datur.*
ANT. *Hæc apud inferos quis ſcit, an ſint pia?*
CRE. *Qui uiuus hoſtis, amicus haud morte ſiet.*
ANT. *Non mutuò odiſſe, amare ſed meum eſt.*
CRE. *Ad inferos, amandum ſi ſiet, ames:*
Dum uiuo, regnum non habebis tu meum.
CHO. *En pro foribus nunc Iſmene:*
Lachrymæ cui fluunt uberes ex oculis.
Nubes at ſupercilijs faciem
Rubicundam dedecorat,
Formoſas irrigans genas.
CRE. *Tu, quæ per ædes miſſa tanquam uipera,*
Me clanculum exhauſti: neque cognoueram
Duas fouere regni intus pernicies.
Age expedi mihi, ten' huius tumuli
Participem dicis fuiſſe, uel negas?
ISM. *Et hoc opus feci, modò hæc conſentiat:*
Et ſum pericli, & delicti huius particeps.
ANT. *At non ſinet iuſtitia hoc, quandoquidem*
Et noluiſti, nec ego te impertij.
ISM. *Non erubeſco ſed tuis malis ego*
Tibi dolorum me participem adiungere.
ANT. *Quis fecerit, ſcit Pluto, id'que inferi ſciunt:*
Verbis amantem non amicam ego uelim.
ISM. *At hoc probro ne me ſoror efficeris,*
Quòd morte tecum non affecta ſim ſimul:

Nec,

Nec,ut oportuit,humárim mortuum.

ANT. *Ne pereas mecum,& quæ non tetigeris,*
Tibi arroges:ſatis erit,ſi moriar.

ISM. *Quæ uita iucunda ſine te mihi ſiet?*

ANT. *Roga Creontem,tu cuius curam geris.*

ISM. *Cur me dolore afficis,nihil cùm te iuuet?*

ANT. *Dolens quidem certè,in te ſi quid rideam.*

ISM. *Qua ratione nunc te ego ſed iuuero?*

ANT. *Serua tibi uitam:haud ægrè eſt,ſi effugeris.*

ISM. *Me miſeram,non peribo tecum ſimul?*

ANT. *Tu maluiſti uiuere:at ego mori.*

ISM. *Verbis tamen tu monita es ſatis meis.*

ANT. *His uiſa tu ſapere es:eis at contrà ego.*

ISM. *Aequale ſed peccatum eſt utrique tamen:*

ANT. *Animo bono ſis: nam meus pridem animus*
Eſt mortuus,iuuare ut mortuos queat.

CRE. *Dico puellarum hanc ego haud abhinc diu*
Stultam fuiſſe,ex quo creata eſt,alteram.

ISM. *O rex,in aduerſis licet clariſsimum*
Ingenium haud manet,ſtatim ſed concidit.

CRE. *Tibi quidem, miſeræ comes quòd eſſe uelis.*

ISM. *Nam quid mihi ſine hac uitale eſſe poteſt?*

ANT. *Hanc ne amplius dicas,tibi haud eſt amplius.*

ISM. *Necabis hanc,ſponſa eſt tuo quæ filio?*

CRE. *Nempe aliorum ſunt, quæ arentur, fœminæ.*

ANT. *Pacta hæc utriq; non erant ſponſalia.*

CRE. *Non filijs ego uolo uxores malas.*

ANT. *Chariſsime Hæmon, quàm pater te negligit!*

ISM. *Hac'ne tuum priuabis heus tu filium?*

At

CRE. *At nuptias horum diriment inferi.*
ISM. Ergo ſtatutum eſt hanc tibi Creon mori?
CRE. *Mihi,tibiq́;:ne morare me amplius,*
Hanc ſed in ædes uos miniſtri ducite.
Has fœminas ex hoc licet conijcias
Fortes:timet magnanimus quantumlibet
Vitæ imminere cùm ſuæ ſcit inferos.
CH. *Felices,quibus mali nihil integrum*
Senſit æuum:nam concuſſa quibus domus à Deo eſt,
Iis nullum mali ceſſat genus
Ad familiæ maximam uenire partem.
Sicut profundi in æquoris aqua,
Fluctus,acribus ſi quando
Thracijs flatibus excita
Procella irruat,
Nigros ab imo deuoluit arenæ,
Grauesq́; cumulos.
Graui fremunt ictu obiecta littora.
Deperditæ domus ego Labdacidarum:
Malis mala antiqua cerno ingruentia.
Liberatur nec tempore
Genus,diruit quis
Deorum,nec remedium eſt.
Extremam enim ſuper
Radicem erat lumen in Oedipi domo.
Letifer hoc iam ſed Deorum.
Inferûm metit cinis,
Væcordia,& mentis erinnys.
Potentiam,quis'nam uirorum

Tuam

Tuam uel appræhendat
O` Iuppiter? quem neq; grauis ueternus
Senectæ domat: nec menſium
Numerus, perenni tempore incolas
Qui contines lOimpi, ſplendiferumq́; iubar.
Quod inſtat, & quod futurum eſt,
Quodq́; fuit, ſuppetet.
Sed hæc lex ad mortalium
In urbibus nullum uenit ſine malo.
Spes nanque errabunda multis
Inane lucrum hominibus,
Multis leuium, blandaq́; fraus amorum
Venit ad nihil ſcientem,
Igni ſuum pedem priuſquàm admorit.
Sapientis eſt enim
Inſigne uiri dictum:
Malum ſæpe bonum uideri
Eſſe, Deus cui animum
Impellit ad exitium:
Tempus at exiguum
Agit ſine malo.
Ecce ſed Hæmon liberorum
Tuorum minor, ægrè ferens,
Quæ futura erat coniux
Sponſæ mortem uenit Antigones,
Se falſum ſpe thori grauiter dolens.
CRE. *Hoc uatibus ſtatim ſciemus certius.*
Non ultima fili audita ſententia,
Sponſæ futuræ concitus patri uenis?

Aut ſunt tibi probata, nos quæ fecimus?

HAE. Pater tuus ſum, mi bonas ſententias
Tu dirigas, ego lubenter quas ſequar.
Nullæ mihi nam ſunt futuræ nuptiæ
Non perferendæ, æquum mihi ſi iuſſeris.

CRE. Fili, decet fixum hoc habere pectore,
Cuncta patris poſtponas ut ſententiæ?
Patres in hoc nam gloriantur, liberos
Obedientes quòd domi ſuæ habeant,
Vt de ſuis pœnas expetant hoſtibus,
Patriſq; amicum honorent, ut ipſe pater.
Sed liberos quiſquis inutiles ſerit,
Quid aliud dicas, labores quàm ſibi
Seuiſſe multos, & hoſtes quod rideant?
Atqui uoluptatis, o fili, fœminæ
Cauſa caue ſenſum tuum ne abijcias,
Malus quòd amplexus malæ ſit fœminæ
Domi ſciens. Vlcus nempe quod tetrius
Vllum queat dici, amicus quàm malus?
Hanc inimicam deſpuens tanquam tuam
Sinas puellam, nubat ut dijs inferis.
Ex urbe tota hanc namque ego cùm ceperim
Non audientem, par ut eſt, ſolam mihi,
A' ciuibus nolo argui mendacij:
Hanc ſed necabo: deinde cognatum Iouem
Hæc celebret: namq; improbi ſi ſint mihi
Cognati, eis ego alienos præferam.
Namq; in domeſticos probè qui ſe gerit,
Is iure iuſtus ciuibus uidebitur.

Quicun

Quicunque iniquè ſed legi uel uim facit,
Vel imperare ijs, qui gubernant, cogitat,
Non laude dignus is mihi uidebitur.
Sed quem magiſtratum crearit urbs, decet
Audire, ſi parua, & iuſta, aut contrà iubet.
Virumq; eundem auſim probè ſperare ego
Pulchrè imperaturum, & pariturum quoq;,
In Martis horrendi locatumq; ordine
Pulchrè ſuum ſemper retenturum locum.
Anarchia nempe malum non maius eſt.
Hæc perdit urbes, & domos hæc diruit:
In prælio & facit, fugentur copiæ:
Sed cùm geruntur ordine, & rite omnia,
Corpora ſeruat multa obedientia.
Hæc eſt tuenda ab ijs, honeſtum qui tenent:
Nec eſt ſinendum, fœmina hanc ut ſuperet.
Nam ſi cadendum eſt, à uiro ſit ſatius:
Ne uel feramur fœminis ſuccumbere.
CHO. *Nobis quidem, tempus ni nos decipiat,*
Hæc ſapienter nunc uideris dicere,
HAE. *Mortalibus pater Dei prudentiam*
Dedêre, qua maior non eſt poſſeßio,
Et uincit omnes quæ bonorum copias.
Aſt ego rectè quìn hæc tu dicas pater,
Nec dicere id poſſum, neq; ſciam ſatis:
Alius ſciat tamen, & honeſtum quòd ſiet:
Tibi itaq; omnia anxiè conſidero,
Quæ dixerit, fecerit quis, aut reprehenderit.
Nempe uiro ex plebe timendum iſtud foret,

Ingenioſus homo.
Ingenij uincit is arte
Montigradamq́; feram,
Hiſpidoq́; æquum collo iuga adigit ferre,
Indomitumq́; taurum.
Sermonis uſum, celeremq́;
Animi uim, grauesq́; ciuium
Lites edocuit, atq; horrida
Iouis frigora, &
Pluuiæ uitare tela. Qui nihil non poteſt,
Impotens is ad nihil redit.
Futurum eſt ſolùm, quod inferis
Is fugere nequeat:
Cuiuſuis at morbi fugam
Intelligat.
Vafer is, atque callidus
Arteis præter ſpem habens,
Nunc ad malum, ſed nunc ad bonum uergit,
Reuellens leges patriæ,
Deûmq́; iuſtitiam, nunc patria
Superbus, nunc inimicus patriæ:
Et honeſtum qui nihili
Facit ob audaciam.
Sed mihi nec familiaris,
Iure nec æqualis ſiet,
Hæc qui facit.
Diuinum ſed prodigium hoc mente reputo.
Videns ego ſed qui contra dixero

Hanc non eſſe puellam Antigonem.
O infelix,& infelicis
Patris filia! quid uerò ?nunquid
Te repugnantem
Regis huc adducunt legibus,
In ſtultoq; opere quam deprehenderint?
NVN. Hæc eſt, nefandum quæ peregit hoc opus:
Hanc ſepelientem cepimus.ſed ubi Creon?
CHO. In tempore hic rurſum ædibus greſſum mouet.
CRE. Dic quæſo, quid ſit,iuſta uenit quæ ultio?
NVN. Non temere, o rex, homo quis iurauerit:
Fallit enim mentem, quod cogitat, crebrò.
Namq; ecce ego,qui me redire huc dixeram
Vix poſſe ſæuis territum nuper minis.
Hæc ſed uenit præter ſpem mihi lætitia,
Quæ uincit omnes alias lætitias.
Huc uenio iuratus huc non regredi
Hanc uirginem ducens,ego quam reperi
Tumbam decorantem:haud opus ſorte fuit.
Hoc nam lucrum meum eſt:nec eſt alterius:
Et nunc,o rex,hanc,ut tibi lubet,cape,
Et iudica,& refelle:ſed dignus ego
Nunc ab eis qui liberer porrò malis.
Captam ſed unde ducis,quo'ne dic modo?
NVN. Hæc hominem ſepeliuit:hoc certo ſcias
CRE. Quæ dicis,an ſcis tu,probeq; intelligis?
NVN. Vidi inhumantem iuſſeras quem mortuum
Non ſepeliri:clarè an hoc quæſo loquor?

Sed quomodo uiſa, repertaq́; eſt, rogo?
NVN. Res ita geſta eſt. ubi nanque uenimus,
Cùm tu graues in nos minas intenderas,
Terra remota, circum erat quæ mortuum,
Pulchrè repurgatoq́; glebis corpore,
Summis ſedemus montium faſtigijs,
Ex ſe cauentes odorem ne emitteret.
Hic uir uirum crebris ciebat iam probris,
Si quem labore in hoc pigrum conſpicerent.
Hæc tam diu fuere, donec æthere
In medio ſolis ſtetit cùm circulus,
Magnuſq́; erat ualde calor: tunc uehemens
Tollens repentè humo procella fulmina,
Implet agros, totum & ruit campi nemus:
Totus eratq́; aër refertus ignibus:
Clauſiſq́; ocellis hoc malum pertulimus.
Longo hoc receßit ubi pòſt ſed tempore,
Puella cernitur, quæ ad inſtar auiculæ
Luctus acerbos, & modos quæ flebiles
Fundit, inanem pullis cùm nidum inuenit.
Hæc ſic cadauer reperit cùm mortui,
Tunc omnibus pannis ſpoliatum ſuis,
Ingemuit ualde, diras atque graueis
Iis imprecata eſt, hoc ſcelus qui fecerant:
Et manibus ſtatim aridum fert puluerem.
Ex tinnulo, lebete'que multifluo
Multo coronat mortuum libamine.
Hanc cùm uideremus, illico accedimus:
Atque apprehendimus ſtupefactam nihil:

Et

Et, quæ prius effecerat, & nunc quoque
Obijcimus, negat nihil hæc penitus:
Hoc gaudio ſimul, dolorique fuit:
Mihi malis gratum nam liberarier,
Ingratum amicos in malum peſſundare.
Veruntamen fuere illa mihi mea
Longè ſalute inferiora, prout decet.
CRE. *Tu tu, reclinas quæ caput humi tuum,*
Hæc'ne fateris, facta uel à te negas?
ANT. *Feciſſe dico, ſed neque id negauerim.*
CRE. *Tibi quidem fas eſt abire, quò lubet,*
Cùm ſis graui nunc abſolutus crimine:
Sermone ſed tu nunc expedias breui,
An id ſciebas, uetitum'ne fieret?
ANT. *Ego ſciebam: quid ni, clarum cùm foret?*
CRE. *Tu'ne auſa es illis non parêre legibus?*
ANT. *Nam non erat Iuppiter, hæc qui fecerat*
Edicta: nec conſors deûm iuſtitia,
Rerum infimarum qui grauem curam gerunt,
Ii non dederunt has leges mortalibus.
Edicta non tantùm tua aſt crediderim
Valere oportere, deûm immutabiles,
Datasq́; nullis dum literarum typis
Mortalis ut leges auſit tranſgredier.
Non hodie, aut heri, ſed in perpetuum
Viuunt, nec unquàm dicere quiſquam poteſt,
Hæ quando primùm ſunt ab illis conditæ.
Ob has ego cauebo, quantauis ſiet
Autoritas hominis, acerbas pendêre

Pœnas Deis, me morituram ſciueram.
Quidni? licet uel tu ſtatuiſſes nihil.
Sed ſi ante tempus accĭdat, ut moriar,
Hoc in lucro maximo ego deputauero.
Nam maximis eſt quiſquis obrutus malis,
Vt nunc ego, morte lucrum quid ni ferat?
Sic & mihi ſtatim necem hanc obtingere
Ducam haud moleſtum: prognatū ſed ſi mea
Matre relinquam humi non creditum,
Illis dolerem, nec leuarer his malis.
Feciſſe ſed ſtultè tibi ſi exiſtimer,
Sultitiam utiq; ſtulto ſtulta debeo.

CHO. *Quàm facilè oſtendit creatam ſe patre*
Crudo, malis cedere puella quæ nequit!

CRE. *At qui rebelles nimis ſcias hoc, ſpiritus*
Grauius ruunt, & ſæpius duriſsimum,
Atque igne ferrum exaſſatum diu,
Et comminutum, & diſsipatum uideas.
Exiguo freno furenteſq; ſcio
Equos retardatos: neque magnos poteſt
Is ſpiritus gerere, ſuis qui ſeruus eſt.
Atque hæc iniquè cœpit primùm facere,
Trangreſſa cùm leges fuit propoſitas.
Secunda uerò à facto hæc eſt iniuria,
Iis gloriari, & gaudere quæ fecerit.
Iam non ego uir ſum, ſed illa uir eſt,
Hæc uis huic impune diu ſi manſerit.
Sed ſi ſoror, propinqua, uel magis ſiet,
Eius gubernat qui omnes Hercæi Iouis,

Hæc & ſoror mortem malam non fugerint.
Namque hanc ego tumuli fuiſſe conſciam
Suſpicor eius ex æquo:ac nunc eam
Vocate:namque illam intus haud ab hinc diu
Vidi furentem,compotem nec ſat ſui.
Prius ſolet nam conſcius prahendier
Animus,tenebris ſunt quæ agitata male,
Inuiſus eſt is mihi,qui in flagitio
Deprahenſus,illi ſpeciem ferre uelit.
ANT. *An quid petis maius,neci quàm me dare?*
CRE. *Ego quidem nihil:in hoc nempe omnia,*
ANT. *Quid ergo cunctaris? mihi nanque nihil*
Placet eorum,quæ dicis,nec placeat.
Quæ dico,nec ſunt hæc magis grata tibi.
At unde gloriam maiorem ceperim,
Quàm quòd meum germanum humi mandauerim?
Hoc nemo,cui non placeat,mortalium eſt,
Linguam metu ſuam ni fortè comprimat.
Felix tyrannis cùm multis alijs ſiet,
Quæcunque uult,loqui poteſt,& facere:
CRE. *Hæc nunquid ex Cadmeis tu ſola uides?*
ANT. *Atqui uident & ij,tibi os ſed ſublinunt.*
CRE. *Non erubeſcis,quòd ſine ijs quicquam ſapis?*
ANT. *Non turpe fratres eſt honorare ſuos.*
CRE. *An non erat frater,ſimul qui concidit?*
ANT. *Frater eadem matre natus,& patre:*
CRE. *A te quid ergo honor habetur impio?*
ANT. *Non teſtis horum fuerit,eſt qui mortuus.*
CRE. *Ex æquo honoras tu quidem hunc impio.*

Non

ANT. *Non ſeruus hic, ſed frater mortem oppetijt,*
CRE. *In patriam pugnans, ſed is pro patria.*
ANT. *Has ſed uolunt inferi tamen exequias.*
CRE. *Aequum bono, maloq́; præmium haud datur.*
ANT. *Hæc apud inferos quis ſcit, an ſint pia?*
CRE. *Qui uiuus hoſtis, amicus haud morte ſiet.*
ANT. *Non mutuò odiſſe, amare ſed meum eſt.*
CRE. *Ad inferos, amandum ſi ſiet, ames:*
Dum uiuo, regnum non habebis tu meum.
CHO. *En pro foribus nunc Iſmene:*
Lachrymæ cui fluunt uberes ex oculis.
Nubes at ſupercilijs faciem
Rubicundam dedecorat,
Formoſas irrigans genas.
CRE. *Tu, quæ per ædes miſſa tanquam uipera,*
Me clanculum exhauſti: neque cognoueram
Duas fouere regni intus pernicies.
Age expedi mihi, ten' huius tumuli
Participem dicis fuiſſe, uel negas?
ISM. *Et hoc opus feci, modò hæc conſentiat:*
• *Et ſum pericli, & delicti huius particeps.*
ANT. *At non ſinet iuſtitia hoc, quandoquidem*
Et noluiſti, nec ego te impertij.
ISM. *Non erubeſco ſed tuis malis ego*
Tibi dolorum me participem adiungere.
ANT. *Quis fecerit, ſcit Pluto, id' que inferi ſciunt:*
Verbis amantem non amicam ego uelim.
ISM. *At hoc probro ne me ſoror affeceris,*
Quòd morte tecum non affecta ſim ſimul:

Nec,

Nec,ut oportuit,humárim mortuum.

ANT. Ne pereas mecum, & quæ non tetigeris,
Tibi arroges: ſatis erit,ſi moriar.

ISM. Quæ uita iucunda ſine te mihi ſiet?

ANT. Roga Creontem,tu cuius curam geris.

ISM. Cur me dolore afficis,nihil cùm te iuuet?

ANT. Dolens quidem certè,in te ſi quid rideam.

ISM. Qua ratione nunc te ego ſed iuuero?

ANT. Serua tibi uitam: haud ægrè eſt,ſi effugeris.

ISM. Me miſeram,non peribo tecum ſimul?

ANT. Tu maluiſti uiuere: at ego mori.

ISM. Verbis tamen tu monita es ſatis meis.

ANT. His uiſa tu ſapere es: eis at contrà ego.

ISM. Aequale ſed peccatum eſt utrique tamen:

ANT. Animo bono ſis: nam meus pridem animus
Eſt mortuus,iuuare ut mortuos queat.

CRE. Dico puellarum hanc ego haud abhinc diu
Stultam fuiſſe,ex quo creata eſt,alteram.

ISM. O rex,in aduerſis licet clariſsimum
Ingenium haud manet,ſtatim ſed concidit.

CRE. Tibi quidem, miſeræ comes quòd eſſe uelis.

ISM. Nam quid mihi ſine hac uitale eſſe poteſt?

ANT. Hanc ne amplius dicas,tibi haud eſt amplius.

ISM. Necabis hanc,ſponſa eſt tuo quæ filio?

CRE. Nempe aliorum ſunt, quæ arentur, fœminæ.

ANT. Pacta hæc utriq; non erant ſponſalia.

CRE. Non filijs ego uolo uxores malas.

ANT. Chariſsime Hæmon,quàm pater te negligit!

ISM. Hac'ne tuum priuabis heus tu filium?

CRE. *At nuptias horum diriment inferi.*

ISM. *Ergo ſtatutum eſt hanc tibi Creon mori?*

CRE. *Mihi, tibiq́: ne morare me amplius,*
Hanc ſed in ædes uos miniſtri ducite.
Has fœminas ex hoc licet conijcias
Fortes: timet magnanimus quantumlibet
Vitæ imminere cùm ſuæ ſcit inferos.

CH. *Felices, quibus mali nihil integrum*
Senſit æuum: nam concuſſa quibus domus à Deo eſt,
Iis nullum mali ceſſat genus
Ad familiæ maximam uenire partem.
Sicut profundi in æquoris aqua,
Fluctus, acribus ſi quando
Thracijs flatibus excita
Procella irruat,
Nigros ab imo deuoluit arenæ,
Grauesq́; cumulos.
Graui fremunt ictu obiecta littora.
Deperditæ domus ego Labdacidarum:
Malis mala antiqua cerno ingruentia.
Liberatur nec tempore
Genus, diruit quis
Deorum, nec remedium eſt.
Extremam enim ſuper
Radicem erat lumen in Oedipi domo.
Letifer hoc iam ſed Deorum.
Inferûm metit cinis,
Væcordia, & mentis erinnys.
Potentiam, quis'nam uirorum

Tuam uel appræhendat
O' Iuppiter? quem neq; grauis ueternus
Senectæ domat: nec menſium
Numerus, perenni tempore incolas
Qui contines lOimpi, ſplendiferumq; iubar.
Quod inſtat, & quod futurum eſt,
Quodq; fuit, ſuppetet.
Sed hæc lex ad mortalium
In urbibus nullum uenit ſine malo.
Spes nanque errabunda multis
Inane lucrum hominibus,
Multis leuium, blandaq; fraus amorum
Venit ad nihil ſcientem,
Igni ſuum pedem priuſquàm admorit.
Sapientis eſt enim
Inſigne uiri dictum:
Malum ſæpe bonum uideri
Eſſe, Deus cui animum
Impellit ad exitium:
Tempus at exiguum
Agit ſine malo.
Ecce ſed Hæmon liberorum
Tuorum minor, ægrè ferens,
Quæ futura erat coniux
Sponſæ mortem uenit Antigones,
Se falſum ſpe thori grauiter dolens.
CRE. *Hoc uatibus ſtatim ſciemus certius.*
Non ultima fili audita ſententia,
Sponſæ futuræ concitus patri uenis?

An

Quicunque iniquè ſed legi uel uim facit,
Vel imperare ijs, qui gubernant, cogitat,
Non laude dignus is mihi uidebitur.
Sed quem magiſtratum crearit urbs, decet
Audire, ſi parua, & iuſta, aut contrà iubet.
Virumq́; eundem auſim probè ſperare ego
Pulchrè imperaturum, & pariturum quoq;,
In Martis horrendi locatumq́; ordine
Pulchrè ſuum ſemper retenturum locum.
Anarchia nempe malum non maius eſt.
Hæc perdit urbes, & domos hæc diruit:
In prælio & facit, fugentur copiæ:
Sed cùm geruntur ordine, & rite omnia,
Corpora ſeruat multa obedientia.
Hæc eſt tuenda ab ijs, honeſtum qui tenent:
Nec eſt ſinendum, fœmina hanc ut ſuperet.
Nam ſi cadendum eſt, à uiro ſit ſatius:
Ne uel feramur fœminis ſuccumbere.
CHO. *Nobis quidem, tempus ni nos decipiat,*
Hæc ſapienter nunc uideris dicere,
HAE. *Mortalibus pater Dei prudentiam*
Dedêre, qua maior non eſt poſſeßio,
Et uincit omnes quæ bonorum copias.
Aſt ego rectè quìn hæc tu dicas pater,
Nec dicere id poſſum, neq; ſciam ſatis:
Alius ſciat tamen, & honeſtum quòd ſiet:
Tibi itaq; omnia anxiè conſidero,
Quæ dixerit, fecerit quis, aut reprehenderit.
Nempe uiro ex plebe timendum iſtud foret,

Si tibi dicat, quæ placere haud ſenſerit.
Hæc ſed mihi audire in tenebris ijs licet:
Hanc nunc puellam tota quantùm defleat
Vrbs, fœminarum quæ immeritiſsima
Inſigne propter miſerè factum perit.
Fratrem ſuum cecidit fero qui in prælio,
Non canibus ſæuis paſſa, aut rapacibus
Volucribus crudeliter uorarier.
Non ſtatua digna eſt donetur quæ aurea?
Mihi quidem pater, beatæ ſi ſient
Omnes tuæ res, pretioſius nihil.
Florente nam patre, queat quæ liberis
Gloria maior eſſe, uel patri item liberis?
Ne quòd ſoli tibi uidetur, ſic tene.
Habere rectè hoc dicis: at nemo alius.
Nam ſibi ſolus qui uidetur ſapere,
Linguam diſertam habere, pectusq; graue,
Inanis eſt repertus excuſſus crebrò.
Non turpe quàmuis ſapientem diſcere
Multa, nec ijs, quæ audit, reluctari diu.
Torrentibus nempe, uides, ut arbores
Quæcunq; cedunt, eæ ramos ſeruent ſuos:
Sed quæ repugnant, funditus ut concĭdant.
Nauem & regit quicunq;, ſi ueli pedem
Tendens nihil cedat, abreptus fluctibus
Dein nauigat uerſis deorſum tabulis.
Iræ tuæ cede, & rurſus ad te redi.
Nam iunior cùm ſim, ſi quid ingenij eſt,
Longè optimum dico, ſciat ſi quis omnia:

Si non,

Si non(ſolet namq; hoc rarò contingere)
Honeſtum ab ijs,bene qui dicunt,diſcere.

CHO. *Te diſcere,ò Rex,eſt ab hoc æquum,ſi quid*
Non negligendum dicat,& contrà:bene
Vtrunque nam dictum uidetur iam mihi.

CR. *Aetate grandes an'ne nos docebimur*
Prudentiam ab hoc,eſt ætate qui puer?

HAE. *Iuſtum nihil quod non ſiet:grandis ſed ſi*
Non ſim,uidere facta, non tempus decet.

CR. *Factum decorum' ne eſt honorare improbos?*

HAE. *In improbos haud te pium eſſe iuſſerim.*

CR. *Eiuſmodi morbo præhenſa non fuit?*

HAE. *Non totus hoc dicit Thebarum populus.*

CR. *Vrbs'ne mihi dicet, ſtatuendum quid ſiet?*

HAE. *Hoc'ne uides,ut dixeris,quàm iuuenis?*

CR. *Præeſſe'ne urbi huic alterum quàm me decet?*

HAE. *Vrbs non ſiet,quæ ſit uiri ſolùm unius.*

CR. *An eius urbs non eſt ei,qui imperat?*

HAE. *Deſerta ſi ſiet,bene imperaueris.*

CR. *Se fœminæ, ut uidetur, addit ſocium.*

HAE. *Si fœmina es tu:nam tui curam gero.*

CR. *O peßime,aduerſus es qui tuo patri.*

HAE. *Nam non ego te iuſta cerno admittere.*

CR. *Ego'ne pecco regnum decorans meum?*

HAE. *Non decoras,deorum honores negligens.*

CR. *Peruerſe ò moribus,uincit quem fœmina.*

HAE. *Nunquàm malis uictum tu me præhenderis.*

CR. *Hæc de puella totus eſt ſermo tuus.*
De te,atque de me,de Deis, atque inferis.

CRE. *Viuam hanc puellam haud amplius tu duxeris.*
HAE. *Hæc morietur: trahet hæc ſed quempiam.*
CR. *Tu nunquid audes aggredi quenquam minis?*
HAE. *Quę'nam minæ ſunt reſpondere friuolis?*
CR. *Malo docebis me tuo mentis inops.*
HAE. *Pater niſi eſſes, haud ſapere te dicerem.*
CR. *Qui fœminæ es ſeruus, bilem ne mi moue.*
HAE. *Vis dicere, & nihil tibi poſt dicier?*
CR. *Verum: ſed hunc teſtor olympum nunc ego,*
Absq; malo amplius probra haud inieceris.
Deducite hoc odium, ante ſponſi ut lumina
Propinqua ſponſo dedatur morti ſuo.
HAE. *Non hæc mihi quidem tu ne hoc putaueris,*
Propinqua non peribit: ſed non amplius
Tuis meum cernes caput luminibus:
Vt, cum quibus cupit, ſiet perpetuò.
CH. *Vir, rex, receßit admodum ira percitus.*
Acerbus eſt illi animus, cùm iraſcitur.
CRE. *Agat, ſupraq; ſpiritus uirum gerat.*
At uirgines non morte liberauerit.
CH. *Ambas'ne eas dare neci tun' cogitas?*
CR. *At non eam, quæ haud attigit: rectè mones.*
CH. *Sed morte quali uis eas occidere?*
CRE. *Eſt ubi inacceſſa ab hominibus uia,*
Rupis cauerna, uiuam ego concluſero.
Et ſcelus eſt ut unum, item panem dabo,
Piaculo ut hoc expietur ciuitas:
Atq; ut colit Plutonem ea ſolum ex deis,
Eum rogans quoq;, impetret, ne pereat,

Vel

Vel manifeſtò, atq; demum clarè ſciat,
Superfluus ditem eſt labor quòd colere.

CH. *Pugna Cupido, qui nequis*
Vinci: at Cupido opibus cedis:
Pulchrè tenĕris qui puellæ
Genis ſedes nocte tota.
Peruadis uerò æquora,
Ferarumq; ſpelæa.
Nec te eſt deorum qui fugiat ullus,
Nec mortalium hominum.
Sed qui te tenet, is furit.
Tu uel bonorum non bonas
Mentes trahis ad exitium.
Hanc tu uirûm diſcordiam
Propinquorum concitaſti.
Vincit apertè ciliûm
Cupiditas ſponſæ.
Quæ uel ſupremis aßidet imperijs,
Leges inexpugnabilis
Illudit Venus dea.
Et nunc ipſe ego extra leges
Efferor hæc aſpiciens: riuos
Nec amplius lachrimarum queo
Tenere, cùm uideam in thalamum
Publicum Antigonen properantem.

ANT. *Videte terræ patriæ incolæ*
Me ultimam hanc uiam
Vadentem, ultimamq; lucem
Solis conſpicientem.

O'patria, ò patriæ.
Beatiſsimi ciues!
Io Dircæi fontes,
Currupotentisq́; Thebes nemus, ſaltem
Omnes ſimul uos teſtificor,
Illucta amicis, & quibus'nam legibus,
Hanc horridam ſepulchri ego
Specum inſueti ingredior.
O' infelix!
Viuos nec inter, neque mortuos.

CHO. Quæ nec apud uiuos degis,
Nec mortuos, ad ultimam
Progreſſa quæ es audaciam.
In quam profundam tu ſpecum
Supplicio gnata data es:
Patris quoddam luis ſcelus.

ANT. Refricas acerbiſsimas
Solicitudines:
Patris (proh) aſperum caſum,
Et totius noſtri
Miſeri fati
Gentis Labdacidarum.
O' materni lecti
Caſum, & cognatos concubitus!
Patris mei & miſeræ matris,
Quibus ego miſella prognata ſum:
Ad quos execranda, nec nupta
Ego inquilina aduenio.
Heu infelices

Sortite nuptias frater,
Vel mortuus uiuam perdidiſti.

CHO. Deos adorare eſt religio.
Data eſt ſed cui potentia,
Tranſgredier minimè decet.
Te tibi nota perdit ira.

ANT. Illucta, nec nupta, & ſine amicis
Miſella pertrahor
Ad hoc expeditum iter: non amplius
Hoc mihi lampadis eximium
Cernere licet lumen. hoc ſed
Meum fatum illachrymatum nemo
Dolet meorum.

CRE. An ante mortem neſcitis, quòd flebiles
Voces uetaſſit nemo, ſi utiles ſient?
Non auferetis hanc procul uos illico,
Miſſam profundumq; in ſepulchrum, ut dixi ego,
Solam relinquetis? mori uel ut queat,
Vel uiua tali ſic ſepulta ſit domo.
Nam nos ad hanc puri attinet quod uirginem,
Non deget auras amplius ad ſuperas.

ANT. O ò ſepulchrum, ò nuptialis thalame!
Perpetua in terris ò defoſſa domus!
In quam ad meos uado carentes lumine,
Ad ſe Hecate quos iam recepit plurimos.
Quorum ultima, & longè omnium miſerima
Deſcendo, uenit cùm dies nondum meæ
Mortis: bona tamen ſpe ego ſed recreor,
Gratam patri uenire me, & mater tibi,

Atque tibi ò frater mihi chariſſime,
Nam mortuos ego manu laui mea:
Et uos decoraui, & dedi libamina.
Et quòd humi corpus Polynices tuum
Rite dedi, nunc præmium hoc ego fero.
Rectè honoraſſe me at ſapit, qui dixerit.
Nam filiorum non ſi ego mater forem,
Nec mortuus mihi maritus ſi foret,
Nolentibus ciuibus hoc ſuſciperem.
At cuius id nunc dico rei gratia?
Nam mortuus mihi maritus ſi foret,
Eius loco alter facilè ſuccederet:
Ex altero & uiro haberetur filius.
Sed cùm pater mihi, & mater ſunt mortui,
Non frater eſt ullus mihi, qui germinet.
Hac lege qui te frater honorauerim,
Peccare ſum uiſa Creonti ego tamen,
Dictu nefanda, & perpetraſſe crimina:
Et nunc miſellam ſic trahit raptam manu,
Non hymenæi, nec participem tori,
Nec nuptiarum, liberûm aut ſolatij:
Deſerta ſed ſic ab amicis omnibus,
Ad mortuorum uiua foſſas adeo,
Quòd mortuorum legi ego aduerſata ſum.
Quid me deos miſeram intueri adhuc decet,
Atque inuocare, qui mihi opem ferant,
Quæ cum piè feci, iam dicor impia?
Hæc ſed apud deos honeſta ſi ſient,
Quòd puniamur, facilè ignouerimus.

Ii ſed ſi peccant, grauiores ne luant
Pœnas mala in nos quàm impiè congeſſerint.

CHO. Adhuc eoſdem ſpiritus ipſa
Gerit, necdum deſeruere.

CRE. Ii certè lugebunt, qui eam ducunt,
Quòd non uelocius deduxerint.

ANT. Heu mortis hæc iam proximæ
Vox ferit aures!

CRE. Non fidendum uelim, ſcias tu,
Hæc non, ſtatutum ut eſt, ita futura.

ANT. Terræ thebanæ urbs ò patria,
Vos Deiq; patrij,
Trahor hinc, nec amplius cunctor.
Aſpicite Thebarum ò principes,
Sola reliqua quæ ſum regina,
A quibus, & quàm indignè trahor,
Coluerim quòd pietatem.

CHO. Eſt paſſum Danaës cœleſte lumen
Aulis corpus in aureis ſuum
Mutare, in thalamo
Quæ occluſa æneo detinebatur,
Quàmuis genere hæc nobilis nata,
Et ſummi Iouis hæc
Aureum ſemen conderet.
Sed fatalis eſt potentia, res mira:
Nec imber hanc, nec hanc arma,
Nec turris, nec marigradæ
Veloces naues effugerint.
Deuinctus eſt tumens ira Dryantis

Gnatus

Gnatus Rex Thraciæ, maxima
Ab ira Dyoniſij
Rupis duro alligatus uinculo:
Sic inſaniæ diſtillat graue,
Fœtidumq; uirus,
Reſciſcitq; inſana
Se auſum Deum probroſa aggredier lingua:
Nam prohibebat fœminas
Deo motas, ignemq; Euyum:
Tibicines & laceſſebat muſas.

TEI. *Reges, uiam hãc communem nos deuenimus,*
Duo per unum aſpicientes oculis.
Orbis uia eſt namq; præeunte duce.

CRE. *Sed, ò ſenex, quid eſt Teireſia noui?*

TEI. *Ego docebo: credas at uati uide.*

CRE. *A' mente nunquàm flexi ego uates tua.*

TEI. *Itaque rectè urbem gubernas tu tuam.*

CRE. *Me plurimis à te haud nego affectum bonis.*

TEI. *Prudens ſies: tibi imminet nam ſors grauis.*

CRE. *Dic, quid ſiet, uultum horreo nempe tuum.*

TEI. *Intelliges artis meæ ſigna audiens.*
Sedem ſuper namq; uidendas ad aues
Aptam ſedens, portus erat qui præpetum,
Vocem audio ignotam auium, quæ ſtrepitus
Rudes ciebant, & tumultus efferos:
Seq; inuicem ſæuis laniabant unguibus.
Senſi id ego: alarum ſtrepitus clarus ſatis
Erat: timens ſed protinus altaribus
Ignes ego admoui, exta quò conſulerem.

Sed

Sed non ſacris ignis micabat penitus,
Sed marcidus coxarum efflu bat cinere
Nidor, eratq; fumus, & ſtridor grauis:
Atque exta diſsipabantur ſublimia:
Pinguedine obruta, & fluebant femora.
Eiuſmodi dixit mihi ſigna hic puer,
Quæ ſunt ſacrorum triſtia heus prodigia.
Eſt hic enim mihi, alijs ſed dux ego.
Mentem ita ob hanc tuā noſtra laborat urbs.
Nobis enim ſunt altaria, ac omnes foci
Canes referti ijs, quæ comedere & aues
In prælio Oedipi occīdit qui filij.
Quare preces noſtras ſacris non amplius,
Flammam ſacrorum nec ultra recipiunt:
Nec amplius fauſtas auis mittit nōtas,
Crudum cruorem quæ hominis uorauerit.
Quare caue fili, ſapiens fac ut ſies.
Peccare nempe eſt omnibus mortalibus
Commune: ſed pòſt quàm ſemel peccauerit,
Non improbè, nec ſtolidè is effecerit,
Lapſus malo, qui mox petens remedium,
Errore pertinax non remanet ſuo.
Qui pertinax, agreſtis eſt is moribus.
Sed mortuo cedas, nec eſt qui perditus
Pungas: honos occîdere eſt quis mortuum?
Bene hæc tibi dico uolens: dulciſsimum eſt
Audire eum, qui affert tibi, quod utile eſt.
CRE. *Omnes, ſenex, ſagittarij uelut ſcopum,*
Tela in uirum hunc intenditis: ſed non ego

Rudis

Rudis eorum, quæ ad ſcientiam attinent
Vatum. à meis uendor, miſerq́; exhaurior.
Lucremini, & uobis parate Sardicum,
Si uultis, electrum, ſimul quoq; indicum
Aurum: ſepulchro at non tegetis uos eum.
Nec ſi uelint cibos Iouis afferre aquilæ
Raptos tonantis ad thronos altos Iouis,
Nec ſic piaculum haud reformidans ego
Hunc ſepeliri iam ſinam. certò ſcio
Nempe deos haud polluit quiſquam hominum.
Labuntur ò ſenex crebrò Teireſia
Vel ſapientes, turpiter quando ob lucrum
Turpes decorant honeſti res ſpecie.
TEI. *Mortalium quis heus ſcit, quis intelligit?*
CRE. *Quid eſt, quod hic dicis, & affers publicum?*
TEI. *Bonum bonorũ eſt, quàm optimum cõſilium!*
CRE. *Iactura quanta eſt reputo non ſapere.*
TEI. *Quod dicis, in te eſt uitium uel maximum.*
CRE. *Non malè ego uati uolo contradicere.*
TEI. *Dicis tamen, me falſa ais cùm canère.*
CRE. *Eſt namq; uatum ſemper auarum genus.*
TEI. *Gens at tyrannorũ improbos quæſtus amat.*
CRE. *Te principi neſcis, quod dicis, dicere?*
TEI. *Scio, tibi ſeruata per me urbs cùm ſiet,*
CRE. *Tu ſapiens uates, iniquè ſed facis.*
TEI. *Efficies dicam moueri, quæ haud queunt.*
CRE. *Dic: at caue tantùm ob lucrum ne dixeris.*
TEI. *Ad te quod attinet, ego ſic reputor.*
CRE. *Empturus haud mẽtem es, uelim ſcias, meam.*

TEI. *Hoc ſed uelim reſciſcas multas non adhuc*
Te ſolis aſpecturum eunt is has rotas,
Vnum ex tuis cùm qui exijt uiſceribus
Tuum tu mortuum rependes filium,
Ob mortuos, quorum tu uiuum in tumulo
Vnum locaſti acerbo cum dedecore:
Aſt alterum, deis neglectis inferis,
Exequijs abſq; cadauer impium.
Quod nec tibi licet, deis nec ſuperis
Debetur: at ſunt facta ui per te omnia.
Inſidias ob hæc Erynnies tibi
Grauiſsimæ ultrices malorum comparant.
In talibus quoque ut præhendare malis.
Atque hæc uide, corruptus an pecunia
Dico: uidebis haud longo abhinc tempore
In ædibus luctus grauiſsimos tuis
Mulierum, & uirorum: hoc pro certo ſcias.
At quæ propinquæ urbes tibi haud bene uolunt,
Hæ non queunt prorſus ſatis mirarier,
Quæ laniauerint canes cadauera:
Aut quæ feræ, alitum'ue pene natum genus
Tam tetrum odorem urbem in hanc immiſerit.
In te moleſtus cùm ſis, ut arcum tenens
Ieci meæ mentis ego iſthæc iacula
Certiſsima, ut nunquàm queas euadere.
At tu puer, nos hinc domum reducito,
Linguam tenere diſcat ut quietius,
Et pectus is, quàm nunc gerat, prudentius.
CHO. *Receſsit, ò rex, hic canens triſtiſsima.*

At

At ſcimus hæc,ex quo nigros crines ego
Iis,quos uidetis,immutaui candidis
Dixiſſe nil Thebis,quod haud euenerit.
CRE. *Hæc ipſe noui,mente turborq́; mea.*
Nempe & graue eſt ſentire: & ſi reſtiteris
Calamitati,tu dolorem ſenſeris.
CHO. *Conſilio fili Menecæi eſt opus.*
CRE. *Dic,quid agendum eſt:morem ego nam geſſero.*
CHO. *Hanc tu puellam,quæ domo eſt in infima*
Surſum trahas,tumulum iacentiq́; extruas.
CRE. *Hæc tu'ne cenſes,factu credisq́; optima?*
CHO. *Quantum celerrimè potes,rex. Stolidos*
Caſus deorum celeres præoccupant.
CRE. *Hei mihi! uix huc appuli, pectus meum*
Vt agerem: graue eſt telum neceßitas.
CHO. *Hoc ipſe fac:nec tu ad alios te uerteris.*
CRE. *Vt ſum,ita pergam:ſed mei uos famuli*
Quotquot adeſtis,& abeſtis,manibus
Captis citò properate iam ſecuribus:
Citò uenite in ſubterraneum locum.
Sententia & quoniam mihi nunc altera eſt,
Ego hanc ligaui: ego præſens hanc ſoluero.
Id ſuſpicor nam eſſe optimum:leges ſient
Quæ iam ſtatutæ obſeruantes nos uiuere.
CHO. *Polyonyme Cadmeæ*
Nimphes imago,Iouis
Grauifremi genus,
Tenes & inclytam
Qui Italiam,& geris graues

Curas

Curas Eleuſyneæ
Cereris in ulnis.
Bacche baccharum metropolin Thebas
Colens fluentum ad Iſmeni,
Ferocis & ubi
Sementis eſt draconis,
Te bicipitem ſuper
Rupem ardens fumus aſpicit,
Quò Coryciæ nymphæ
Venêre bacchides,
Caſtaliæq; riuus:te
Te Nyſſeorum hederis
Iugorum conueſtitæ ripæ,
Grauesq́; racemis
Dulcibus modulis deducunt.
Thebanas uideas ut ædes,
Honoras urbium
Quam maximè tu omnium,
Mater tua & fulminea.
Et nunc cùm timetur
Celebris Cadmi ciuitas
Ruat graue in malum,
Piante iam pede Parnaſiam
Super uallem,uel grauifremum
Fretum
O` Iouis micantium
Chorage aſtrorum, & cantuum
Nocturnorum epiſcope!
O` Iouis ſoboles

Reuelare Naxijs
Tuis heus ſequacibus
Thyadibus, furore quæ incitæ
Pernoctes
Vocant ſaltantes Iacchum Iacchum.
NVN. *O' incolæ Cadmi, & domorum Amphionis,*
Nullius adhuc unquam, uiuus qui ſiet
Laudauerim uitam, aut miſeram patauerim.
Fortuna nam nunc erigit, nunc deprimit
Felicem, eumq́; qui miſer perpetuò eſt.
Præſentum uates neque uſquam certus eſt.
Mihi beatus nam uidebatur Creon,
Vrbem feris qui liberarat hoſtibus,
Et regionis ceperat monarchiam,
Et nobilis bonis florebat liberis.
Nunc perierunt omnia: nam gaudia
Cùm deſerunt, corpus dico eſſe mortuum.
Habe domi, quantas uelis diuitias,
Te & apparatu regio iacta: tamen
Si gaudium deſit, fumi non emerim
Vmbra, ad beatam uitam quantum pertinet.
CHO. *Regum doloris tu quid apportas noui?*
NVN. *Et mortui ſunt, uiui & mortis cauſa ſunt.*
CHO. *Occidit & quis, & quis occidit, refer.*
NVN. *Eſt mortuus, ſibi manum attulit Hæmon.*
CHO. *Manu paterna cæſus eſt, an'ne ſua?*
NVN. *Mortem ſibi conſciuit iratus Patri.*
CHO. *Vates, tuum dictum nimis uerum fuit.*
NVN. *Hæc acta ſunt: de alijs oportet quærere.*

CH. Atqui Creontis huc miſeram coniugem
Iam cerno tendentem: foras ne ex ædibus
Cùm nomen audijt nati, uel caſu adeſt?
EV. Thebani ô ciues, audij dictum quod eſt,
Ex Palladis templo mihi eſſet cùm exitus.
Quò ueneram meas preces ut funderem,
Et ianuæ fortè fores amoueram,
Aures domeſtici ſermo ad meas mali
Cùm uenit: & timore protinus graui
Supina famulas reclino me ad meas.
Quod dicebatis, iterum at uos dicite.
Nam non malorum ignara uos exaudiam.
NVN. Ego tibi, Domina, recenſebo omnia:
Nec ueritatis aliquid omiſero.
Cur molliam rem, cuius argui queam
Mendacij illico? optima eſt res ueritas.
Ego maritum proſecutus ſum tuum
Vſque ad agrum, miſerum iacebat in quo adhuc
Corpus Polynicis diſcerptum à canibus.
Atque hunc petita à deâ Hecate uenia,
Plutoneq;, iram quò coërceat ſuam,
Pulchrè lauatum frondibus recentibus
Supererat quod corporis, imponimus.
Rectum ſepulchrum protinusq́; ereximus,
Et concauum ad ſtatim puellæ thalamum
Venimus, eſt ſitus locis qui in inferis.
Vocem procul ſublimium ſed fletuum
Quis non parentato ſepulchro exaudijt:
Statim Creontiq́; id hero renuntiat.

Eum

Eum inarticulata uox ſed perſonat,
Quò proprius uenit: doloreq́; is graui
Miſerimè exclamat. O' infelix ego,
Vates'ne ego ſum? num uiam miſerrimam,
Quæ ante fuerunt, nunc uiarum ingredior?
Vox filij me turbat: at uos famuli
Accedite illuc propius, atque aggeris
Perquirite omnes mox rimas, atque hoſtio
Videte inhærentes: meas uox Hæmonis
Num aures ferijt, falſus mihi aut eſt animus.
Vt iußit herus anxius, nos illico
Aſpicimus: tumuli ſed extremo angulo
Eam uidemus nos ſuſpenſam ſindone,
Aptauerat ſuo collo quam miſerè:
At hunc adhærentem, & amplexum mediam,
Sui cubilis conquerentem exitium,
Sui patris factum, tori & malum exitum.
Hunc ſed pater poſtquàm uidet, gemens graue
Gemens adit, luctu uocatq́; tinnulo.
Miſer, miſer, quæ'nam facis, dico miſer?
Cor eſt ubi tuum: peris caſu graui?
Egredere ò fili, ſupplex id te rogo.
Eum efferatis oculis gnatus tuens
Et conſpuit uultum, nihilq́; rettulit.
Vagina acutum ſed bipennem liberat.
Seſe in fugam ſed cùm pater impelleret,
Errauit: aſt iratus ipſe tunc ſibi,
Enſem, ut tenebat, in latus figit ſuum.
Atque implicat ſuis, intuens uirginem,

Vlnis,geniſq; hærens puellæ candidis
Efflat cruento ſpiritum ſtillamine,
Et mortuam circum iacet is mortuus
Ad inferos ſuam ſecutus coniugem.
Atque indicauit inter homines ſimul,
Quantum malum ſiet malum conſilium.

CH. Conijcias, quid hinc?receßit fœmina,
Bonum,'aut malum uerbum priuſquàm dixerit.

NVN. Admiror & ipſe:bona ducor tamen
Spe, filij caſus illa cùm audierit,
Se nolle lachrymis replere urbem ſuis,
Luctum ſuum ſed famulis expromere.
Tam ſtulta non eſt, quid ineptè ut perpetret.

CHO. Hoc neſcio:at longum mihi ſilentium
Durum uidetur,& repens rurſus clamor.

NVN. Atqui ſciemus,num quod arceri queat,
Cor percitum tegat furore nimio,
Si intremus in ædes:uidêris dicere
Rectè.timendum eſt nimium ſilentium.

CHO. Atqui ipſe rex huc accedit
Inſigne monumentum dextra tenens,
Dicere ſi fas,non alterius
Culpa factum,at ſua ipſius.

CRE. O' mentium amentium
O' peccamina grauia,
Mortifera!ò qui propinquam ſtragem
Nefandam uidetis,
Et mortuum,& eum, mortem qui ei dedit!
Meorum conſiliorum ò

Calamitas.

Calamitas!
O fili puer, noua clade
Hei hei hei
Periſti, interiſti
Malo meo, ſed non tuo conſilio!

CHO. *Quàm tu, Creon, ſerò, quod eſt iuſtum, uides!*

CRE. *Intelligo miſer, ſed in meum caput*
Deus Deus ſcilicet graue
Onus gerens
Incußit, & feras diſcußit per uias
Heu popularem perimens lætitiam.
O hominum labor improbus!

SER. *Here uidêris huc uenire in tempore,*
Vt, & quæ habes in manibus tuis mala,
Tecumq́; portas, in tuis ſuntq́; ædibus,
Illa ſimul cuncta uidere quò queas.

CRE. *Quid peius hoc fiet, malorum'ue amplius?*

SER. *Eſt mortua huius genitrix cadaueris,*
Quod fecit infelix recenti uulnere.

CR. *O inexpiabilis*
Portus inferûm! Me iterum quid perimis?
O qui miſerrimos
Dolores nuncias, quæ'nam mihi refers!
Heu perditum uirum peremiſti: quid
Puer, quid dicis, & quid apportas noui?
A à à.
Oppetijſſe uiolenta
Vxorem gladij nece!

SER. *Licet uidere: non eſt in conclauibus*

CRE. Hei mihi!
Hoc aliud rurſus malum cerno miſer.
Fatum quod ullum iam me manet amplius?
Hunc porto dextris, eſt meus qui filius,
Et mortuam cerno meam proh coniugem.
Heu heu mater miſera! heu fili!

CHO. Hæc gladio percuſſa: circa aram altera
Magno dolore nigra ſoluit cilia.

NVN. Hæc mortui prius Megarei coniux fuit,
Achiuus rurſus. extremo ſed nunc tibi
Turpem hanc tui cædem imputauit filij.

CRE. Hei hei hei hei
Refugi metu.
Cur haud aduerſum
Percußit quis acuto gladio?
Infauſtus ego heu heu,
Infauſtoq; iam implicitus malo.

NVN. Culpa hæc duorum in te cædis cùm ſiet,
Tu mortuæ huius quam decet curam geras.
Sed quo ſibi mortem attulit hæc dic modo?

NVN. Iecur ſua ſibi confixit hæc manu,
Caſum grauem audijſſet ſui cùm filij.

CRE. Hei mihi in nemimem mortalium
Confretur culpa factum mea,
Ipſe te ego necaui, ò miſer.
Ego uera aſſero. O` ò famuli
Ducite me, abripite, agite hinc procul.
Qui interij, nec ſum amplius.

NVN. Quod eſt lucrum, ſuades, malis ſi quod lucrum eſt.

Breuißima

Breuiſſima ex malis uocarim ego optima

CR. *Eat, eat,*
Supremus meis ueniat malis
Mihi finem afferens dies.
Veniat dies dies
Supremus: nullum & uideam amplius.

NVN. *Futura ſunt hæc: ſed eorum, quæ uides*
Adeſſe quid fiet? curæ eſt ijs, quos decet.

CR. *Euenire quæ uelim mihi à Deis precor,*

NVN. *Nihil preceris: nam ſtatutum quod ſiet*
Fato malum, nemo hominum uitauerit.

CRE. *Virum hunc ineptum longè uos abducite,*
O' Gnate, qui te haud ſponte cecîdi mea,
Quiq; te ipſam: o me miſerum, nec ſcio,
Vel utrum aſpiciam, uel ubi ponam.
Obliqua nam mihi quæ in manibus, & quæ imminent,
Caſus non ferendus in me irruit.

CHO. *Longè ſapere præſtantius eſt*
Vllæ quàm opes: nec impium in deos
Eſſe decet, uerba arrogantia
Graues poſtquàm pœnas glorioſis
Retribuerint,
Cânos ſapere ne edoceant.

Ducentes Angli ſuſpiria pectore dicunt,
Doctior, & melior nullus in orbe fuit.

De quodam Grammatico.

Hunc'ne uides toruo limantem lumine, pendet
Taurimis cui oculis grande ſupercilium?
Quem uel Chryſippum, uel dixeris eſſe Platonem,
Si tetrico uultu poßit ineſſe fides.
Grammaticus uulgò à plerisq; inſignis habetur,
Sed uero hunc dicas nomine pædotribam.

De Medico aſthmatico, qui uxorem duxerat.

Qui nuper ſolitus multas ambire puellas,
Dum uult coniugij dulcia uincla pati:
Omnes quem teneræ ſed neglexere puellæ,
Tantus anhelanti pectore fœtor ineſt:
Is nuper pulchram duxit ſine dote puellam,
Quæ poterat ſano uel ſatis eſſe uiro.
Cum qua iucundum Veneris dum fœdus inire
Ardet, ſe fruſtra ſollicitatq; diu:
Illi quod magno ſteterat, non ſtare querentem,
Diuorum auxilium ſæpe uocaſſe ferunt.
Quos fruſtra cùm ſe tandem imploraſſe uideret,
Ferte, ait, auxilium nunc mihi Canthärides.

In Anum: è Græco.

Intingas licet usq; caput, remouere nequibis
Annos, nec rugas explicuiſſe genis.
Ergo ſic fuco faciem ne collime totam,
Perſona ut tantùm ſit tibi, non facies.

Non iuuat hoc quicquam (tua quæ eſt inſania?) fucus
Non quæ Hecuba eſt unquam fecerit eſſe Helenam.

Ad Candidum.

Candide cùm tibi ſit coma candida, candida barba,
Ora quoque alpina candidiora niue.
Atque tuo nil ſit non album corpore toto,
Quî fit, quòd ſolo pectore candor abeſt?

Ad eundem.

Os, labra, & dentes, frons, mentum, colla, comæq́;
Alba tibi: ſolo pectore candor abeſt.

Ad pueros.

Laudate heus pueri Dominum, laudate frequentes:
Vix unquam uobis gloria maior erit.
Preſbyterosq́; fieri uos unquam nemo putaſſet:
Sed certè eſt maius munus ἐπισκοπεῖν

In quendam, qui capillos tingebat: è Græco.

Cui caput intinctum eſt, omnes fluxere capilli,
Idq́; ouum dicas, quod coma denſa fuit.
Exclamans tinctor, nigros tondere capillos,
Vel cânos ueto'te dehinc bone tonſor, ait,

Guliel. Chriſtianus mihi amiciſsimus ſic uertit.

Perdidit hos omnes, dum uult nigrare capillos
Quidam, & ab hirſuto depilis omnis abit.
Dehinc hæc tinctor ait: non eſt abradere crines,
Siue coma albeſcat, ſiue nigreſcat, opus.

De Auaro è Græco.

Sordidus

Sordidus in ſomnis cùm multa impenderat Hermon,
Compreßit laqueo triſtia colla ſibi.

Idem Gulielm. Chriſt.

In ſomnis Hermon ſumptum cùm fecit auarus,
Pœnitet, & mortem conſcijt ipſe ſibi

Ad Pæderaſtem Aurelia fugientem.

Fœmina nulla tibi quòd quâmuis pulchra placeret,
Atque puella foret triſtior angue tibi:
Laudabam, & diuos ſimilem tibi me eſſe precabar.
Fuſa erat heus oculis tanta caligo meis.
Eſſeq; uix rebar te quicquam caſtius uſquam:
Exemplum raræ teq; pudicitiæ.
Prò ſcelus at crimen committis perdite, & audes
Quod meritò horreſcat dicere lingua pudens.
Inficiat quod uel Ligeris Sequanæq; fluenta,
Quiq; omnes terras continet, Oceani:
Quod non tædæ omnes, non omnia ſulphura, quæuis
Deniq; non ignis flamma piare queat.
Non metuis tibi ne uel tellus ima dehiſcat,
Vel feriant tetrum fulmina ſæua caput.
Quò fugis ah demens, non te corrodere uermis
Deſinet, atque animis ſpicula fixa tuis.
Vt ceſſent meritas qui poſſunt ſumere pœnas,
Crudelis ſemper tu tibi tortor eris.

De Monacho non monacho.

Perniciem cleri, regum, populiq; potentis
Dicere uis uno nomine, Dic monachus.

In Grammaticum: è
Græco.

Cùm Paridis caſus doceas foris, & Menelai,
Ecce Helenæ multos intus habes Paridas.

De Grammatica: è
Græco.

Vxorem, nec Grammaticam tolerare potis ſum:
Hac nil pauperius, ſed nimis illa ferox.
Vtriſq; exitium, & ſæuiſſima parca paratur:
Euaſi miſeram uix ego Grammaticam.
Coniuge ab Andromacha ſed non diuertere poſſum:
Hoc chartæ prohibent, ius uetat Auſonium.

Ad Candidum.

Quàm tibi conueniens dederat, bone Candide, nomen
Natura! inſignis nam tibi candor ineſt.
Nec te candidius quicquam eſt, ſi corpore ſpectes
Quàm ſit in externo bella ſuperficies.
Sed nolunt mores huic reſpondere colori.
Ex hac parte tibi, Candide, candor abeſt.
Quod potuit, Natura dedit: ne candidus eſſes,
Peruerſi mores ſed meruere tui.
Arbitrij non eſt noſtri, componere mores,
Inquis: diuina hoc gratia ſola facit.
Vt lubet: at uerum, quod dicam ænigma, putato,
Illo non aliquid uerius eſſe poteſt.
Si color eſt albus, ſcelerati at, Candide, mores.
Candidus es, nec tu, Candide, candidus es.

Petri Stellæ Doct. Aurelij
Epitaphium.

Illuſtrem nuper tenuit quod carcere Stellam,
Incluſum corpus contegit hic tumulus.
Stella hinc emicuit, totum qui deſpicit Orbem:
Gaudet & ex tenebris his abijſſe procul.

Ad Steph. Doletum
Aurelium.

Verſibus haud noſtris te aliud celebrare, Dolete, eſt,
Quàm Solis radijs addere uelle faces.
Nam, quæ ſcripſiſti, toto teſtantur in Orbe,
Ingenij quàm ſit gloria rara tui.
Qui genere eloquij Ciceronem iure referre
Diceris: eſt ſtyli gratia tanta tui.
Et qui ſcis mirè uarios componere uerſus,
Eſſe tibi ſolum hoc ut uideatur opus.
Ergo te ut celebrent, mea non ſunt carmina tanti:
Reddit nam celebrem te tua Muſa ſatis.
Vtriq; at quoniam patria eſt Aurelia noſtrum,
Doctorum ſemper quæ fuit, eſtq́; parens:
Quæ nos coniungunt, ſtudijsq́; tenemur eiſdem,
Vt uixiſſe ſciat nos quoq; Poſteritas:
Inſerere huic uiſum eſt hæc carmina noſtra Libello,
Ceu certum noſtræ pignus amicitiæ.

De Auaro: è Græco.

Qui fuerat preſſurus heri ſua guttura fune,
Sex propter nummos interijſſe cauet.

Nummorum ſex ſunis erat, nimiumq; uidetur
Carus, ſeq; cupit uilius occîdere.
Tantus amor nummi: nam cùm periiſſe peroptet,
Nummi infœlicem ſex periiſſe uetant.

De Candido.

Candidus ad noſtram ſatis aſſerit eſſe ſalutem,
Quam ſæpe immundo prædicat ore fidem:
Atq; opus eſſe hominis, paſſa eſt quæ menſtrua, pannum
Fœminæ, & hoc ſi quid turpius eſſe poteſt.
Dicere nec ſatis eſt, uult dici, atque eſſe fidelis,
Vt quadrent uerbis ſplendida facta ſuis.
Atque operi quoniam ſat non eſt fidere tutum,
Perpulchra id fiat ne ratione, cauet.
Proſpicit aßiduè, ne quid dicatur honeſtè
Perfeciſſe, opus aut exeruiſſe pium.
Myſtica, quæ feſtis celebrantur ſacra diebus,
Non adit: huic operi fidere relligio eſt.
Indicta & ſtato ieiunia tempore ſpernit:
Non leuis huic operi fidere relligio eſt.
Et quæ maiores noſtri ſtatuêre, prophano
Conſpuit ore: operi fidere relligio eſt.
Fallere ſed non eſt, non falſum intendĕre crimen,
Non tibi mentiri, Candide relligio eſt.
Non tui perniciem ſtudioſè quærere fratris,
Vlla ex parte tui, Candide, relligio eſt.
At cùm ſic uiuas, quantùmuis te eſſe fidelem
Iactes, dic, tibi quis poßit habere fidem?

In ſtatuam Bacchæ: è Græco.

Inſanam Baccham hanc ars,non natura peregit,
Fecit permixtus ſitq; furore lapis.

In idem.

Hanc pulſare manu perdoctam cymbala nondum
Artificis Baccham conſtituêre manus.
Annuit,& magna uoce exclamare uidetur:
Exite hinc nullus ſit licet hic ſtrepitus.

In Statuam Vaccæ Myronis: è Græco.

Quid uitule accedens ad noſtra heûs ubera mugis?
Plena mihi non ars ubera lacte dedit.

In idem.

Mugiet,ut credo,nobis hæc Vacca: Prometheus
Non animata unus,fingis & ipſe Myron.

In idem.

Quæ enixa eſt,utero poterit finxiſſe iuuencam
Dici,hanc Myronis ſed peperiſſe manus.

Ad impudentem cinædum.

Improbe cùm iactes te olim muliebria paſſum,
Quis te unquam deinceps dixerit eſſe uirum?

Ad Candidum.

Admonuit moriens olim te,Candide, mater,
Vt tibi Lutheri ſecta cauenda foret.
At tu dum matri nimium parêre uideri
Non uis,nec dederat,quæ tibi iuſſa ſequi,
Omnes ſollicitas,corrumpis,& illicis,omnes

Sunt myſteria cùm explicanda doctè:
Nullis deniq; quot fuere in annis,
Huic Euangelium ſatis tenere
Videntur: bonus at Lutherus ille,
Turbarum mare qui excitauit ingens,
E cœlo cecidiſſe prædicatur,
Vt Euangelium Dei doceret,
Longo tempore, quod periſſe fertur,
Dum obrutum tenebris tetris iacêret.
Ab hoc Candidus inſtitutus eſt ſic,
Totum Euangelium ut tenere dicas.
Sacra pagina ſemper illi in ore eſt.
Hunc ſemper uideas fidem ſonantem,
Pauli & grandia uerba ponderantem
Toruo lumine, penduliſq; labris,
Rectiſq; aëra naribus trahentem.
Nec ſibi ſatis eſſe Chriſtianum eſt:
Omnes ſollicitat, ſubornat, angit,
Vt uelint ſimul eſſe Chriſtiani.
Non hoc nomine parcit aut labori,
Aut pecuniolæ: ſuam Luthero
Diligentem operam putes locaſſe.
Credulos pueroſq;, fœminaſq;,
Iugo quas uiduas uidet ſoluto,
Stulto aut morigeras minus marito:
Aut ſi quis facilem negotiator
Aurem fallier arrigit patentem,
Hos ut attrahat aucupatur omneis,
Et quos ceperit, hos potenter omnes

Magno munere diuites remittit,
Spiritum Domini ut putent ſe habere.
Spiritus Domini ſed an ſit iſte,
Mercedem eſſe operæ, puto uidere.
Eſt arbor bona, quæ bonos habere
Fructus cernitur: at malos habere
Fructus quam uideas, malam uocare
Arborem poteris: quis hoc negarit,
Chriſtus quod uoluit ſuos docere?
Quòd ſi ſit malus, an quis haud ineſſe
Spiritum Domini audeat negare?
Multis peſsimum eum queam probare
Factis: ſed fuerit ſatis ſuperq́;,
Si uobis uacat, unicum referre.
Quidam hunc admonuit, caueret eſſe
Lutheri nimiùm datus furori,
In naſſam & miſeros ſuam uocare
Simplices pueroſq́;, fœminaſq́;.
Erat Candidus obligatus illi
Suo & nomine, ſed magis ſuorum:
Ob hoc conſilium ſibi putabat
Gratias quoq; maximas agendas.
Sed is non ſecus ac patrem necaſſet,
Qui illi conſilium bonum dediſset,
Quærit omnia fraudulentus, eheu,
Quò illi perniciem creet miſello,
Cui tantum impius eſſet obligatus.
Atque ut peſsimus eſt calumniator,
Vera crimina deeſſe cùm uideret,

Teſtes

Teſtes ſollicitat, ſubornat, urget,
Impellit pretio, minis, metuq́;,
Vt teſtimonio aſſerant nocentem,
Vitæ qui ſiet omnibus probatæ.
Sed plus relligio ualet, fidesq́;,
Quàm fraus impia, machinæ, doliq́;.
Neminem potuit ſuis mouere
Dictis perfidus. O' ſacranda peſtis,
Vrbi qui exitium potes creare!
Hoc feciſſe ſcelus nequis negare,
Sancto à nomine nec times uocare
Te Chriſti, ore tetro & fidem ſonare.
Quo nil perfidius, ſceleſtiusq́;,
Spiritus Domini huic poteſt ineſſe?

Ad Stephanum Saucium Iuriſconſultum.

Quis ſit Candidus in meis Libellis,
Quæris Saucie: ſæpius precesq́;
Addis. Candidus ipſe ſed quis eſſet,
Nulli dicere ſæpe me rogauit:
Nec hoc nomine fabulam popello
Se ignaro petit eſſe. Sed putato
Noſtro carmine neminem notari,
Ficto nomine ſed malos reprændi.
Eſt hoc nomine ſæpe Martialis
Vſus, quod mihi fortè commodauit,
Velle hos ludere dum uidet Libellos.
Vrges ſed magis, & magis, premisq́;.

Dicam uni tibi. ſed caue reſciſcat
Quiſquam: arcana mei tenes Libelli.
Non quis hoc alius reſciſcet unquam,
Quis ſit: Candidus ipſe ni antè quis ſis,
Velis, Candide, candidè fateri.

Quæ ſit cauſa huius temporis hæreſeon.

Turba Sacerdotum nunc eſt uiliſsima paßim:
Cuilibet ad tantum munus adire licet.
Non doctrinæ in eis ratio, aut uirtutis habetur:
Noſſeq; nunc adeò eſt grammata prima ſatis.
Et quibus in templis primi tribuuntur honores,
Horum nil uita turpius eſſe poteſt.
Maior auaritia haud usquam eſt, nec tetra libido
Occupat ullorum pectora fœda magis.
Et quos pauperibus bona diſtribuiſſe deceret,
Cuncta procax meretrix, alea cuncta rapit.
Quid dicam monachos? monachi debere uidentur
Si dici: ignauûm maxima colluuies.
Ignauos dixi: nam nil indoctius uſquam eſt,
Sed dici ignauos non ſatis eſſe putes.
Ocia, nam rogo quis, ſemen neget eſſe malorum,
Et latam uitijs hæc aperire uiam.
Proh dolor in clauſtris turpiſsima lerna malorum eſt,
Atque hinc in populum profluit unda nocens.
Quid, quē ab ἐπισκοπέειν *appellat* ἐπίσκοπον ἕλλην,
At ſpeculatorem lingua Latina uocat.
Hei mihi quàm longè eſt, lateq; remotus ab illo,

Reddita quem finxit littera Timotheo.
Omnes iſta uident: nec ſe quis corrigit uſquam:
Affertur tantis nec medicina malis.
Deinde admiraris, quòd tot ſint ſchiſmata noſtro
Tempore, quæ haud candens tollere flamma queat.
Deſine mirari: magis admirabile multò
Eſſet, ſi nulla hoc tempore ſecta foret.

De Ioanne Fiſchero Roffenſi Epiſcopo.

Tempore ſi noſtro fuerat quis Epiſcopus eſſe,
Et Chriſti dignus paſcere iure gregem,
Dignus Ioannes Fiſcherus, quem Anglica tellus
Produxit, fuerat uel pater eſſe patrum.
Huius erat uirtus totum diffuſa per Orbem:
Nec doctrina uſquam clarior ullus erat.
Quantùm eius poſſent, ſenſiſti, ſcripta, Luthere
Quàm mala dogmata ſint cùm tua, plana facit.
Senſit, purpureum quæ miſit Roma galerum:
Cùm inter Cardineos iuſsit habere locum.
Senſerunt omnes: princeps non ſenſerat unus,
Anglica cui tellus ſceptra tenere dedit.
Huic duro roſeam mandauit qui enſe ſecari
Ceruicem: inq; alias hinc properare domos.
Indignæ cædis poterit quæ iuſta uideri
Cauſa? ſat eſt Regi diſplicuiſſe ſuo.

A D Philibertum à Ria uirum nobiliſsimum, ſedis Apoſtolicæ Protonotarium.

Si tua quid uirtus, & quid doctrina meretur,
Specto, timet nomen pagina noſtra tuum.
Quæ ſe poſſe tuas deſperet dicere laudes,
Si uel Vergilij uena beata foret.
Qui tibi quæ proaui ſumma ornamenta dedêre,
Ad generis famam non ſatis eſſe putas.
Vt tua ſed uirtus cum illis contendere poßit,
Tendis, parq́; illis ſit tua nobilitas.
Quæ tanta eſt, ualeat nihil in te ut carpere Momus:
Nam longè à uitijs uita remota tibi eſt.
Hæc me deterrent, tua quæ eſtq́; modeſtia nobis
Cognita, quæ laudes reſpuit, & refugit.
Es tamen orandus nobis, patiare parumper
Hiſce tibi in noſtris uerſibus eſſe locum.
Te dignè ut celebrent, mea non ſunt carmina tanti,
Quæ laudanda facis, meq́; tacere iubes.
Hæc tamen eſſe mei uolo tanquam pignus amoris.
Et memorem, & gratum me mea muſa facit.

De Gulielmo Belaio, cognomine à Langio.

Quales eſſe ſuos uellet Plato, quando docebat,
Quos urbis curam iußit habere ſuæ:
Et quibus impoſuit pulchrum cuſtodia nomen
Vrbis, quos Phylacas Græcia docta uocat,
Hos eſſe & doctos, animoſo & pectore plenos,
Martemq́;, & muſas iußit ineſſe ſimul.
Quod quàm difficile eſt, & quàm natura repugnat,
Res adeò diſcors, ut ſimul eſſe queat

Et no

Et norunt ueteres: nam tot iam ſecla tulerunt
    Perpaucos, quibus hæc gloria conueniat:
Et norunt noſtri, quibus hic nos uiuimus, anni,
    Vix quibus hoc tribuas, unus & alter erit.
Ambobus numero ſed perfectiſsimus omni
    Temporibus noſtris Langius unus erit.

Τέλος.



DOLETVS

Durior eſt ſpectatæ uirtutis,
quàm incognitæ,
conditio.